Shelf No
*2239a.106

FOUNDED 1852
SICUT PATRIBUS SIT DEUS NOBIS
BOSTONIA
CONDITA A.D.
1630.
CIVITATIS REGIMINE DONATA A.D. 1822.
BOSTON PUBLIC LIBRARY

GIVEN BY

George B. Knapp
August 31st 1895

AMSTELÆDAMI.
Apud HENRICUM WETSTENIUM.
CIↃ. IↃ. C.LXXXV.

RARIORA

MAXIMI MODULI

NUMISMATA

Selecta

EX BIBLIOTHECA

Eminentiss. & Reverendiss. Principis

CASP. CARPEGNÆ,

S. R. E. Cardinalis, &c.

& doctissimis

JOSEPHI MONTERCHII

Commentariis illustrata.

AMSTELÆDAMI,

Apud HENRICUM WETSTENIUM,

CIↃ IↃ C LXXXV.

George B. Knapp,
Aug. 31, 1895.

I/4

VIRO
NATALIBUS, DIGNITATE,
DOCTRINA
PRÆCELLENTI
FRIDERICO BENED. CARPZOVIO
SENATORI LIPSIENSI
GRAVISSIMO

HENRICUS WETSTENIUS S.

Nemo mirabitur, qui quidem non hoſpes eſt in republica litteraria, hunc elegantiſſimum libellum, meo ſtudio in linguam Latinam ex Itali-

ca tranſlatum , Tibi conſecrari. Quis enim ignorat Te non ſolum ſingulari diffuſaque per omne diſciplinarum genus eruditione prædi-tum, ſed unum fere in Germania dignitatem optimarum artium ſuſti-nere ac tueri, & in illarũ finibus proferendis o-mnes cogitationes, quas ſibi non vindicat reipu-blicæ procuratio, defixas habere? Tibi enim debet Germania quod non ca-

reat egregiis multis libris apud exteros editis, qui cum difficulter in ista plaga poterant haberi, Tua commendatione & cura typis Lipsiensibus sunt denuo mandati. Tibi debet orbis eruditus tot alia volumina, quæ nunquam lucem aspexerant, inter quæ insigne Inscriptionum vetustarum à magno Reinesio collectarum & illustratarum opus nominare libet: quod non modo ab

teritu & æternis tenebris, cum Urbem vestram, & illam domum præcipue, in qua servabatur, & edi cœperat, pestilentis syderis sævitia infestasset, magno cum Tui capitis discrimine, vindicasti; sed & inter tot gravissimas & catenatas, quibus distineris, occupationes, indicibus laboriosis & per quam utilibus instruxisti, & ut emendate prodirent unice studuisti, so-

la cupiditate doctrinas præclaras ornandi inflammatus. Tibi debet illa *eruditorum Acta Lipsiensia*, quæ tanto cum applausu excipiuntur in omni Europa, & tam cupide diripiuntur ubique, ut & in alias linguas vertantur. Tu enim hujus fructuosissimi instituti in illo tractu dux & auctor es, quamvis in societatem operis adsciveris Viros lectissimos & doctissimos. Hinc merito quic-

quid eſt virorum doctorum Te amat, colit, & in deliciis habet, tanquam decus Germaniæ, ac præcipuum columen litterarum: Quarum commodis dies noctesque invigilas, quamvis non minore ſtudio & contentione patriæ Tuæ ſervias, quæ opera & prudentia Tua in rebus difficillimis explicandis utitur aſſidue, magno ſuo bono. Hæc, etſi cauſſam aliam nul-

Iam haberem, facile potuissent me perpellere ad Tuam benevolentiam quovis officii genere demerendam. Nunc vero cum tanta prolixæ in me Tuæ voluntatis à multis annis extent monumenta, non potui non hanc occasionem grati mei Tibique devotissimi animi testificandi, nisi ingratissimus velim haberi, arripere, & politissimum hunc libellum, Tibi mortalium

politissimo inscribere. Quem si pro Tua illa cunctis perspecta & celebrata humanitate, comiter exceperis & Tua, hoc est læta illa fronte, satis magnum sumtuum & curæ, quam huic libello impendi, fructum me cepisse putabo. Vale, Vir Amplissime, & me Tibi semper meam observantiam & cultum omni obsequii genere probaturum esse, persuasissimum habeto.

De pretio & nobilitate

NUMISMATUM
MAXIMI MODULI.

Numiſmata maximi moduli cæteris omnibus præſtant, non modò propter amplitudinem, craſsitiem & molem metalli, quod ampliori circulo & extante magis ſculpturâ diſtinctiùs imagines Imperatorum aut aliorum nobis exhibet, ſed etiam alia de cauſa ob quam rariores & majoris pretii ſunt. Reliqua enim numiſmata minora propter commercium tantùm & pro ordinaria moneta cuſa eſſe creduntur, cùm nemo dubitet

quin ea quæ maximi moduli sunt, eum duntaxat in finem, ut Imperatorum rerumque ab iis gestarum memoria conservaretur & ad posteros propagaretur, percussa fuerint. Ante Romanos, Græci, ex quibus optima studia, & præstantissimæ artes fluxerunt, iis in eum finem usi fuerant. Ex Græcia consuetudo ista Asiam & alias regiones pervasit, unde à Civitatibus & Rebuspublicis in honorem suorum Regum & Heroum, cusa numismata etiamnum hodie videmus. Sed Romani post Reipublicæ tempora, ad celebranda facta Augustorum suorum, quorum & imagines & victo-

victorias veluti in totidem clypeis ac ϖεϑλομαῖς *ea ratione conſecrabant, præ cæteris omnibus gentibus frequenter iis uſi ſunt. Hinc pretioſior materia adhibita, & Artificum aucta eſt induſtria, nummis ex auro, argento, & omnibus metallis, in quibus imagines diſtinctiores & ampliores erant quàm in vulgaribus monetis, procuſis. Romanos æmulatæ ſunt variæ Civitates Græciæ atque Aſiæ, aliique populi, eâ ratione Imperium cui ſubditi erant certatim venerati. Duodecim primorum Cæſarum rariora ſunt maxima numiſmata, & quæ reperiuntur mole potiùs metalli quàm ima-*

gi-

ginum elegantiâ commendantur. Cœperunt frequentiora cudi sub Trajano, & numerus eorum valdè auctus est sub Adriano & Antoninis, sed præsertim sub Commodo & Caracalla. Exposuimus pulcherrimum & optimè conservatum numisma Lucii Veri, in cujus aversa fronte conspicitur Hercules Victor. Hoc propter novitatem & elegantiam imaginis, reconditamque ejus significationem in quibus horum numismatum situm est pretium, nobilissimum est, & maximi pretii. Huic dignum est quod conjungatur Commodi illud, in quo cernitur triumphus de Germanis, quod est

ex

ex integerrimis ac perfectiſsimis; & illud etiam labente Imperio cuſum numiſma Conſtantini Maximi, quod eò majoris eſt pretii, quòd eâ ætate Sculptura multùm ex priſtino ſplendore amiſerit.

Inter eos qui delectati ſunt, & etiamnum delectantur perquirendis eruditis Antiquitatis monumentis, nemo hactenus ſeriem integram majorum numiſmatum, licet multa multi ad illuſtrationem horum ſtudiorum collegerint, condere valuit. Inter alios Antiquitatum hujuſmodi theſauros eminet Romæ Sereniſſimæ Sueciæ Reginæ Chriſtinæ *Cimeliarchium in quo ſunt ducenta trigin-*

ta quinque maximi moduli numiſmata, jam celebria ex Muſæo Franciſci Gottifredi, *Viri ob ſtudium nummorum immortalem famam conſecuti. Sunt præterea notiſſima numiſmata quæ aſſervantur in inſtructiſſima Eminentiſſ. Cardinalis* Franciſci Barberini *Bibliotheca, & apud Cardinalem* Boncompagnum; *ut & ſeries illa nummorum Cardinalis* Camilli Maximi, *cujus recentem jacturam ut unius ex præcipuis ornamentis deflet adhuc Roma. Nobilia etiam ſunt majora numiſmata Excellentiſſ.* Auguſtini Chigi Principis Farneſii, *& Illuſtriſſimi*

Viri

Viri Joannis Pauli Ginetti, *inter quæ memorabile eſt numiſma Philippi & Otacillæ. Hinc vultus eorum habet cum titulo* CONCORDIA AUGUSTORUM, *inde templum rotundum columnis ſubnixum, cum Aquila in apice & inſcriptione,* EX ORACULO APOLLINIS: *quaſi templum illud Jovi ædificaſſet Philippus monitu illius Dei.*

Ampliſſimus hic eſſet campus per quem exſpatiari liceret, ſi vellemus numiſmatum Cimeliarchia in Italia ipſa, ac extra Italiam numerare. Inter omnia excellunt Cimeliarchium Regis

Galliarum in quo ſunt ſupra quadringenta maxima numiſmata: ut & Cimeliarchium M. Ducis Hetruriæ quod etiam illuſtriſſimum eſt.

Obſervandum in numiſmatis hiſce maximis, mole inſignibus, & maximi moduli, *uti vocantur, nullum notari Senatus-Conſultum, quod fieri ſolet in aliis nummis æneis hiſce duabus literis S. C; quaſi cuſa ſint ad arbitrium Imperatorum, ut iis in Donativis uterentur, eo plane modo, quo & hodie Principes ſuis nummis ſymbolicis uti ſolent. Ideòque quædam conſpiciuntur argento & auro obducta,*

cta, alia circulis egregiis circumdata, quorum tria, ſc. Antonini, Lucii Veri, & Antinoi in hoc opuſculo conſpicienda ſunt.

Cùm verò tanti ſint pretii maxima hæc numiſmata, tanquam illuſtria Antiquitatis monumenta, merito ex eorum numero eliminanda ſunt ſuppoſititia illa, quæ poſterioribus temporibus cuſa, magna quidem, nec tamen veritati hiſtoricæ conſona, nec veteribus quo ad elegantiam ſunt comparanda. Titulos, *& averſarum frontium impreſſiones in iis paſſim confundi ſine judicio videas, quod potiſſimùm obſervare eſt in ſuppoſititiis* Neronis,

Tra-

Trajani & aliorum. Nec possum non mirari celeberrimos scriptores qui primi de Nummis scripserunt, iis usos esse ad illustrandam historiam Romanam, cui potiùs tenebras offundunt. Attamen aliquando utilia sunt licet rarò, imaginibus virorum quorundam illustrium, & ab iis antiquiorum temporum, ætatisque illorum figuris eruendis.

ANTONINVS·AVG·PIVS·PP·TR·P·COS·III

I.

ANTONINUS AUG. PIUS P. P. TR. P. COS. III. *Antoninus Auguſtus Pius, Pater Patriæ, Tribunitiâ Poteſtate, Conſul Tertiò.* Caput Antonini Pii laureatum.

Ex altera parte eſt Matrona equo inſidens, quæ ambabus manibus facem gerit, ſine inſcriptione. Ea eſt Fauſtina uxor Antonini, habitu Dianæ Luciferæ, cui poſt mortem divini honores delati ſunt; quod colligere eſt ex tertio Conſulatu Antonini qui circa caput notatus eſt, eo enim Conſulatu obiit Fauſtina, uti ſcribit *Capitolinus: Tertio anno imperii ſui Fauſtinam uxorem perdidit, quæ à Senatu conſecrata eſt, delatis Circenſibus, atque templo & Flaminiis; & ſtatuis aureis atque ar-*

genteis. Eſt ergo in averſa hujus nummi parte monumentum conſecrationis Fauſtinæ; quæ etiam in aliis nummis cernitur, in quibus Fauſtina inſignitur titulo *Divæ*, & habitu Dianæ Luciferæ pingitur. In quodam conſpicitur cum Luna bicorni pone humeros ad inſtar alarum, gerens pariter ambabus manibus accenſam facem, addita hac circa imaginem inſcriptione SIDERIBUS RECEPTA. In alio cernitur ad cœlum evecta ab eadem Diana utraque manu facem ſtringente, ubi legitur ÆTERNITAS.

Ad averſam hujus nummi noſtri partem, & Fauſtinæ ἀποθέωσιν quod attinet, poteſt ei nomen tribui Dianæ Luciferæ & Equeſtris, quandoquidem utroque titulo Dea illa inſignita fuit.

Pri-

Primus quidem paſſim reperitur, ſed alterius unicum ſuppeditat exemplum *Pindarus Od.* 3. *Olympion.* Ubi celebrat velocitatem equorum Theronis Agrigentini qui quadrigis vicerat. Eo in loco Poëta narrat Herculem petiiſſe Hyperboreos, ut inde oleam afferret, quâ victoribus Olympicis coronas necteret, ibique exceptum fuiſſe à Diana Equeſtre, ſic enim eam vocat: *Ubi Latonæ filia* ἱπποσόα *equorum agitatrix*, vel uti interpretatur *Leonicerus*, *equos ad curſum in Venatione excitans.* Hinc currum hujus Deæ non modò Cervi & Tauri ei ſacri, ſed etiam equi velociſſimi in numiſmatibus trahunt. Et quandoquidem *Pindarus* totam illam Oden conſumit in laudes Theronis qui quadri-

gis in ludis Olympicis vicerat, etiam ex hujus nummi parte aversa poteſt colligi celebritas ludorum Circenſium, qui in honorem Fauſtinæ inter ſtellas, ut dicebant, receptæ, à Senatu decreti fuerant, quaſi illa inſtar alterius Dianæ Luciferæ & Equeſtris in cœlo ſplenderet, eſſetque tutela Circi, propter ludos ei dicatos, quemadmodum ipſi Dianæ conſecratum fuerat Amphitheatrum. Hiſce etiam confirmatur amplius nummus argenteus ejuſdem Fauſtinæ cum titulo *Divæ*, qui in averſa parte exhibet quadrigas cum ejus ſtatua, quemadmodum ferebatur in Pompa Circenſi, ubi & in ipſo curru cum ſtatua conſpicitur Auriga qui equos ad curſum & victoriam agit. Attamen equus quo ve-

vehitur Fauſtina in nummo noſtro, eſt ex eorum numero qui dicebantur Deſultores & κέλητες, quique Heſpero & Lucifero ſacri erant. His utebantur ſine fræno & quidem ſolis, unde ſingulares dicebantur, ut diſtinguerentur à bigis & quadrigis, quæ duobus aut quatuor equis circa Metam circumagebantur. Cæterùm *Luctatius* vel *Lactantius* in *Statium* Lib. VI. *Thebaidos* ait Poëtas tribuere quadrigas Soli, bigas Lunæ, & ſingulos equos reliquis ſtellis: *Poëtæ quadrigas Soli, bigas Lunæ, equos ſingulares ſideribus.* Et Iſidorus *Lib XVIII. Origin. Quadrigas Soli,* inquit, *bigas Lunæ, & trigas inferis, ſejugas Jovi, deſultores Lucifero & Heſpero conſecraverunt.* Hinc apparet raritas & ſenſus reconditus hujus nummi in quo conſpicitur Fauſtina

habitu Dianæ Luciferæ, non in bigis aut quadrigis, ſed equo Deſultori inſidens, ut numen tutelare Circi. Optimè comparatur hæc Auguſta inter ſtellas recepta cum Lucifera, quo nomine Diana indigitatur, ut exponit *Phornutus*, *quod & ſplendorem emittat, cœlumque aliquo modo lumine ſuo illuſtret, in primis quando in plenilunio eſt.* Moris etiam erat Romæ matronas, cùm vota ſua facerent, exire civitate & petere nemus Aricinum, ubi erat Artemiſium ſeu templum Dianæ celeberrimum; quod fiebat Idibus Auguſti, ſeu tredecima menſis die, & quidem adhibitis facibus ardentibus quas manibus geſtabant. Hujus conſuetudinis meminit *Propertius* Lib. II. Eleg. 32. ubi de Cinthia ſua

Cum videt accenſis devotam currere tædis
In nemus, & Triviæ lumina ferre Deæ.

Ovidius in *Faſtis*:

Sæpe potens voti & frontem redimita coronis
Fœmina lucentes portat ab urbe faces.

Credibile eſt autem matronas cum Româ Ariciam curſim irent, equo tantum iter confeciſſe, quemadmodum eſſedis utebantur ut irent Tybur ad templum Herculis.

Curve te in Herculeum deportant eſſeda Tybur.

Addam ultimo loco nummum Antinoi, in Ægypto cuſum cum titulo Herois circa caput. Eſt in altera parte ipſe Antinous equo inſidens, & dextrâ caduceum gerens ad inſtar Mercurii.

ANTONINVS·AVG·
PIVS·PP·TR·P·COS·IIII

2.

ANTONINUS. AUG. PIUS. P. P. TR. P. COS. IIII. *Antoninus Auguſtus, Pius, Pater Patriæ Tribunitiâ Poteſtate, Conſul Quartum.* Caput Antonini Pii laureatum.

Diana ſtans ſtolata ad pedes uſque, unâ manu haſtam ſeu venabulum, alterâ Damam vel Capream gerens. Hinc cognomen habuit *Elaphicæ* ἐλαφιβόλȣ, ex venatione Cervorum, & Damarum. Ne quis autem putet hic eſſe Baccham cum thyrſo ferreo acumine munito, quales olim eſſe ſolebant, & capro Baccho ſacro, obſtat conſuetudo contraria, quæ inducta eſt propter vulnera quæ inferebantur, vel homicidia quæ à Bacchantibus in Orgiis,

lanceis iſtis initio committebantur; conſuetudo, inquam, utendi ferulâ loco Thyrſi, ut notat *Diodorus Siculus*, & oſtendunt antiqua marmora & Baccharum imagines. Nec Thyrſus convenit huic noſtræ figuræ quæ eſt ſtolatæ & compoſitæ mulieris, contrà quàm ſolebant Mænades & Mimallones, qui ſparſis capillis & furioſis motibus choreas Baccho ſacras celebrabant. Itaque hic Diana pingitur, non præcincta pro venatorum more, ſed cum ſtola talari, quomodo cernuntur aliæ ejus imagines præſertim in nummis Siculis. *A Cicerone* etiam celeberrima illa & antiquiſſima ſtatua Dianæ Segeſtanæ à Verre raptæ ſtolata deſcribitur. *Erat* inquit, *admodum amplum & excelſum ſignum cum ſtola.* A *Calli-*

macho

macho in Hymnis χιτώνια dicitur pariter quasi tunicata. Unde conjicere est hanc inter alias esse antiquissimam imaginem Dianæ quæ sub variis cognominibus Romæ celebris erat & ab Antonino peculiari modo colebatur. Cum desit omnis titulus, nihil aliud occurrere potuit ad explicationem hujus nummi circulo illo quo cinctus est, & elegantia celebris.

ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡΜ ΑΝΤΩΝΕΙΝΟϹ
ΜΑΓΝΗΤΩΝ

3.

AYTOKPATΩP. M. ANTΩNEINOC. *Imperator Marcus Antoninus.* Caput Marci Antonini laureatum.

MAΓNHTΩN. *Magnetum.* Statua Dianæ Ephesiæ inter duo flumina jacentia.

Duplex fuit Magnesia; altera dicta distinctionis causâ *ad Sipylum*, quia erat ad montem Sipylum sita, altera *ad Meandrum*, quia erat vicina Meandro flumini. Putamus hanc nummi nostri partem aversam Magnesiæ ad Meandrum, quæ non multum distabat Epheso, convenire; unumque ex fluminibus esse ipsum Meandrum, alterum Letheum quod propius erat, & quod à monte Pactya qui remo-

tus non est Ephesο fontem ducens, mœnia Magnetum alluebat, atque influebat in Meandrum. Sic habet *Strabo* Lib. XXIV. dum numerat civitates Joniæ. *Prima ab Epheso est Magnesia Æolica urbs quæ ad Meandrum cognomento dicitur: vicina est enim Meandro, sed vicinior urbi Letheus fluvius, qui à Pactya Ephesiorum monte ortus in Meandrum influit.* Propter viciniam Ephesi, in hanc, ut & in alias Græciæ & Asiæ, ac remotiores etiam civitates, invectus fuerat cultus Dianæ. Hæc Dea cum maximæ esset venerationi Magnesiis, duos eorum fluvios hîc ad pedes habet jacentes, Meandrum nempe & Letheum, manibus versus eam expansis quasi auxilium ejus, instar numinis Magne-

gneſiæ tutelaris & faventis, implorantes. Simulacrum ejus pro more cum multis mammis effingitur, unde dicebatur *Multimamma*, *Polymamma*, πολύμαϛα. De ea loquuntur modò laudatus *Strabo*, *Pauſanias*, aliique, & inter recentiores cum eruditione haud vulgari *Claudius Menetrius in Tractatu de ſimulacro Myſtico Dianæ*, in quo tamen ſilentio prætermittit Victorias, quæ eam palmis & Coronis ornant, & quas in hoc nummo videmus manus conjungere ſupra ejus caput, quaſi imponant coronam turrium, quæ ipſi convenit quatenus eadem eſt cum Cybele, quæ Civitatibus præeſt, eaſque tutas & inexpugnabiles præſtat, quia prima illas cœpit muris cingere, & ab hoſtium incurſibus tutari.

Cre-

Credidere Dianam esse bellicosam, atque ad victorias consequendas potentem, unde tulit titulos ἡγεμονίδ@ & πολεμάρχου, hoc est bellatricis & exercituum ductricis, quo nomine venerabantur eam Spartani. Apud Athenienses πολέμαρχ@ fuit ex præcipuis civibus, is cui omnis belli cura demandabatur. Hi ut victoriam reportarent, solebant etiam vota nuncupare & sacra facere huic Deæ, quod eos fecisse ante victoriam quandam à Persis reportatam apud *Xenophontem* legimus. Antiquissimis quoque temporibus Theseus, post victum hujus Deæ auxilio Asterionem Minois filium virum fortissimum, ipsi templum dicavit. Pariter Megalesii victo Mardonio, & Phocæen-

cæenſes ſuperatis Theſſalis victoriam ac ſalutem ſuam cladem que hoſtium acceptam retulerunt Dianæ, ut non in uno loco narrat Pauſanias. Unde colligere poſſumus duas Victorias in nummo noſtro expreſſas convenire Dianæ Victrici, quo nomine etiam cernebantur quædam ejus ſtatuæ alatæ.

L·AVREL·VERVS·AVG·ARMENIACVS·IMP·II·TR·P·VI·COS·II·

4.

L. AUREL. VERUS. AUG. ARMENIACUS. IMP. II. TR. P. V. COS. II. *Lucius Aurelius Verus Augustus, Armeniacus. Imperator Secundùm, Tribunitia Potestate Quinta, Consul Secundùm.* Caput Lucii Veri laureatum.

Herçules juvenili ætate dextra capiti suo lauream coronam imponit, sinistra clavam tenet, pendente ex brachio spolio leonis. Hinc est laurus cui appensa est pharetra, inde ara accensa & laureis ramis pariter ornata.

Cùm hæc nummi hujus pars aversa careat titulo, difficilius est explicare argumentum novum & inusitatum, Herculis nem-

nempe juvenis sibi coronam imponentis. Attamen cum viderem insignem hunc nummum Græcum non esse sed Latinum, eum ad Historiam Romanam pertinere ratus sum; ideóque hîc quæ ex Antiquitatis Romanæ umbris ad eum illustrandum ducere potui adscribam. Non placet eorum opinio qui credunt hunc esse Heroem Aventinum Herculis filium, qui instar Patris clavam & pellem leoninam gerebat, & de quo *Virgilius*,

Ipse pedes tegmen torquens immane leonis
Indutus caput, ita in regia tecta subibat,
Terribili impexum seta cum dentibus albis,
Horridus Herculeóque humeros innexus amictu.

Si

Si attendamus ad coronam, arborem, & laureos ramos quibus ara ornata est, facile deprehendemus hîc esse statuam Herculis Victoris, & cognomen istud, morémque coronæ capiti suo imponendæ derivari ab antiquissimis Evandri temporibus; & nobis in memoriam revocare victorias Herculis, quando occiso Caco & recuperatis in Aventino bovibus, Aborigines & Arcades ab injuriis istius latronis liberavit.

Narrat *Dionysius Halicarnassæus* hosce populos Herculis virtutem admirabundos, quasi in eo divinitas quædam fuisset, laureas coronas, cum locus lauro abundaret, ipsi imposuisse. *Cæterùm Aborigenes & Pallantini Arcades, ut viderunt Herculem & Caci mortem*

agno-

agnoverunt, hunc propter rapinas perosi, illius ſtupentes ſpeciem, divinum quiddam ſe videre putabant, & pro magna felicitate habebant exemptos ſe à latronis injuriis, atque inopes, ramis lauri, cujus in his locis magna erat copia, tam ſe quàm Herculem coronabant. Scribit etiam *Macrobius in Saturnalibus*, eos qui ſacra faciebant ad Aram Maximam ſibi caput lauro redimire ſolitos. *Cùm ad Aram Maximam ſola lauro capita, & alia fronde non vinciant.* Nullo modo dubito hîc eſſe Herculem juvenili facie & imberbi pictum, quandoquidem ſimiles multas ejus imagines in ſtatuis, marmoribus, & gemmis reperimus. Hoc perſuadet juvenilis vultus, nam talis eſt ſtatua Herculis ex metallo in Capitolio, cum corona lau-

lauri Aventinæ, quæ cùm inventa ſit in foro Boario, vel in loco proximo, dubium non eſt quin ſit eadem, vel una ſaltem ex ſtatuis Herculis Victoris, ut legimus in verſibus antiquæ inſcriptionis. Ei templum haud magnum dicatum erat in eodem foro, ſic deſcriptum à *Publio Victore* in Regione Octava Urbis: *Sacellum Pudicitiæ Patritiæ, Herculis Victoris duæ, altera ad Portam Trigeminam, altera in Foro Boario rotunda & parva.* Qua in deſcriptione ſequutus eſt Livium Lib. X. *In ſacello Pudicitiæ Patritiæ, quæ in Foro Boario eſt ad ædem rotundam Herculis.* Itaque in hac nummi noſtri parte averſa, nobis ſupereſt monumentum Herculis Victoris, ſimulque veteris ritûs ſibi laurearum imponendarum,

cujus

cujus ſignum eſt arbor ex laureto Aventino, & præterea ara, quæ ad Aram Maximam referri poteſt, quandoquidem eodem lauro eſt ornata. Nunc ut applicetur Lucio Vero imago iſta Herculis Victoris, eâ voluerunt deſignare gloriam hujus Imperatoris quam ſibi pepererat victoriis quibus Armenos ſubjecerat, unde factum ipſi fuerat cognomen *Armeniaci* quod circa caput legitur.

5. Imp.

IMP CAES L AVREL COM MODVS GERM SARM
TR POT COS

5.

IMP. CAES. L. AURELIUS. COMMODUS. GERM. SARM. *Imperator Cæſar Lucius Aurelius Commodus, Germanicus, Sarmaticus.* Caput Commodi Cæſaris ætate juvenili.

TR. POT. COS. *Tribunitiæ Poteſtate Conſul.* Quadrigâ triumphalis cum Marco Aurelio & Commodo triumphantibus. Præcedit Roma cum Vexillo, & Victoria volans humeris deſuper trophæum ſuſtinet.

Hîc ſe conſpicuam præbet effigies Commodi Cæſaris juvenis laureati, corpore & brachiis nudis, chlamyde ex pelle Leonis vel alius feræ confecta pectus obtegente. Hanc credimus eſſe barbaram veſtem quæ dicebatur

Gaufape ve l*Gaufapa*, quo nomine vocabantur, ut notat *Octavius Ferrarius*, omnes veftes villofæ & hifpidæ. Ita ab antiquis Gloffis exponitur *Pallium barbaricum*, ubi voce *barbaricum*, appofitè ad rem noftram, intelligi putat *Theodorus Marcilius* Interpres *Perfii*, Germanicum, quod etiam optimè convenit cum verbis ejufdem Poëtæ Sat. V I. ubi de Caligula, Germanicoque ejus triumpho, hæc habet inter alia.

——— *Miffa eft à Cæfare laurus*
Infignem ob cladem Germanæ pubis, & aris
Frigidus excutitur cinis, & jam poftibus arma,
Jam chlamydes Regum, & lutea Gaufapa captis
Effedaque, ingentesque locat Cæfonia Rhenos.

In

In nummis in quibus exprimuntur Germani captivi, conspiciuntur pectore & brachiis nudis cum chlamyde, in qua tamen pellis villosa vel cirrata distincte cerni nequit; sed melius animadvertitur in statuis barbarorum captivorum, qui pellitis vestibus induti sunt, & evidentius quidem in trophæis, non Marii, sed Trajani in Capitolio cum chlamyde pellita, vel Gausape villoso Dacorum, quo utebantur etiam & Parthi & Armenii, unde *Armenium* dicitur à Messala, quem idem laudat *Ferrarius. Armenii Regis spolia Gausape.* In usu etiam fuit inter Germanos, aliud genus pellitæ vestis quæ dicebatur *Rheno*, cujus meminerunt *Cæsar* & *Sallustius*, & cujus egregia de-

 scri-

ſcriptio extat apud *Iſidorum. Rhenones ſunt velamina humerorum, & pectoris uſque ad umbilicum, atque intortis villis adeò hiſpida, ut imbres reſpuant.* Erant veſtes breves & ſine manicis, ut probat Cluverius in ſua Germania antiqua. Videmus ergo in hoc nummo noſtro Commodum juvenem, barbarica Germanorum veſte indutum, pectore & brachiis nudis, tectum duntaxat chlamyde pellita, ſeu Gauſape, ſeu Rheno eſſe dicatur. Hac ratione Romæ admirationem ſibi conciliare volebat cum rediret ad triumphum, oſtendens quanti labores ſibi tolerandi fuiſſent, dum nudo corpore & hiſpida tantùm ac dura veſte velato bellum in Germania gerebat. Quod & feciſſe legitur An-

toninus Caracalla, ut videbimus ad nummum VIII.

Ad averſam partem quod attinet, æquè eſt animadverſione digna, ac novus & inuſitatus capitis adſpectus. In ea pingitur triumphus Marci Aurelii cum filio Commodo. Stat ad dextram Marcus globum, ad ſiniſtram Commodus laureum ramum manu geſtans. Præcedit imago Romæ galeatæ alterâ manu vexillum quod humero ſuſtinet tenens, altera trahens habenas equorum currûs triumphalis; per aërem verò volat Victoria trophæum ex Germanis humero etiam gerens. Cùm Commodus eſſet Cæſar, & juvenis, comitatus eſt patrem in primo bello Germanico, quando Germani ſuperato Danubio

Pannoniam, & Provincias Romanas, Italiæ ipsi minantes incursabant, dum Romani rebellionibus Parthorum & Britannorum, & peste quæ Romam ac Italiam vastabat, laborarent. In eos exercitum duxit Marcus Aurelius & memorandam illam ac cœlestem victoriam in agro Quadorum reportavit, ac multis præliis Marcomannos, Sarmatas, Vandalos, Suevos, & omnes ferè Germanos qui vires adversus Romanas suas conjunxerant, debellavit. Hisce victoriis fracti hostes & in fugam conversi, in sylvas & montes, pro more suo, fugerunt: sed cùm Imperator victricia arma, ad ultimum usque septentrionalem Oceanum, illaturus agro esset hostico, Cassius

ſius in Oriente rebellione commotâ, & ſumpto Imperatoris nomine, illum Germaniam deſerere & victoriarum impetum omittere, ut in Syriam ad debellandum ipſum, exercitum transferret, coëgit. Hujus autem morte rebellione ſedatâ, Marcus in Urbem redux, triumphavit de Germanis unà cum filio Commodo, cujus triumphi monumentum extat in hoc nummo. Ita de eo ſcribit *Capitolinus*: *Voluit Marcomanniam provinciam, voluit etiam Sarmatiam facere, & feciſſet, niſi Avidius Caſſius rebellaſſet ſub eodem in Oriente, qui Imperatorem ſe appellavit; Relicto ergo Sarmatico, Marcomannicóque bello, contra Caſſium profectus eſt, ſed Caſſius ſtatim interfectus eſt. Romam ut venit, cum*

Commodo filio ſuo, quem jam diximus Cæſarem fecerat, triumphavit. Similiter *Eutropius: Bellum Marcomannicum confecit, quod tum Quadi, Vandali, Sarmatæ, Suevi, atque omnis Germania commovit. Multa millia hominum interfecit, ac Pannoniis à ſervitio liberatis, Romæ rurſus cum Commodo Antonino filio ſuo, quem jam Cæſarem fecerat, triumphavit.* Sed *Lampridius*, aliquid amplius ad explicationem averſæ faciei numiſmatis noſtri affert in vita Commodi, dum narrat hunc comitatum eſſe patrem in primo bello Germanico; quem etiam cùm ſequutus eſſet in Syriam, & Ægyptum ad opprimendum Caſſium, Romam reverſus unà cum ipſo triumphavit: *Et eo tempore quo Caſſius à Marco deſci-*
vit

vit, profectus est commendatus militibus cum Patre in Syriam, & Ægyptum, & cum eo Romam rediit. Post hæc veniâ legis Annariæ impetratâ COS. est factus, & cum Patre IMPERAT. est appellatus V. Calend Decem. die, Pollione & Apro Coss. & triumphavit cum Patre; nam & hoc Patres decreverunt. Consulatus Pollionis & Apri incidit post annum V. C. DCCCCXXVIII; unde liquet Commodum decimum quartum vel decimum quintum ætatis annum non excessisse tempore triumphi, quod optimè convenit cum facie juvenili quæ in nummo nostro apparet. Videmus etiam in eo notatum primum Commodi Consulatum, quem extra ordinem, & veniâ legis Annariæ impetratâ obtinuit;

nuit; nec duntaxat factum illum esse Consulem & proclamatum Imperatorem, ut in loco laudato docet *Lampridius*, sed etiam à Patre participem factum fuisse Tribunitiæ Potestatis, ex hisce literis: TR. POT. COS. Notatu etiam dignum est in Columna Antoniniana conspici faciem juvenilem Commodi unà cum patre Marco, primo & secundo bello tab. XLII & LXII. ut observavimus in expositione istius Columnæ, quam primi publici juris fecimus eximiè sculptam operâ *Petri Sancti-Bartoli*, cui etiam debemus accuratissimam picturam hujus numismatis & aliorum quorum imagines in hoc libro extant.

6. AYT.

ΑΥ·ΚΑΙ·Μ·ΑΥ
Ρ·Η·ΚΟΜΟΔΟΣ
ΕΠΙΣΤΡ ΠΑΙ
ΠΙΟΥΚ
ΟΙΝ ΟΝ ΟΜΟ
ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ
ΚΑΙΕΦΕΣΙΩΝ

6.

AYT. KAI. M. AYPH. KOMOΔOC. *Imperator Cæſar Marcus Aurelius Commodus.* Caput Commodi juvenis.

ΕΠΙ. CTP. Π. ΛΙΠΙΟΥ. KOINON. OMO. ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ. KAI. ΕΦΕCΙΩΝ. *Sub Stratego, ſeu Prætore, P. Lipio Communitas, Concordia Pergamenorum & Epheſiorum.* Sunt duo viri quorum unus dextrâ ſtatuam Æſculapii, alter verò Dianæ Epheſiæ, Pergami & Epheſi Deorum Tutelarium, gerit. Duæ voces inſcriptionis KOINON. OMO. hoc eſt, OMONOIA *Communitas, Concordia*, in aliis nummis Epheſi & Pergami ſeparatim leguntur

tur; sed cùm hic conjugantur, videtur prima casu recto legi debere, secunda obliquo, hoc est, Communitas Pergami & Ephesi Concordiæ causâ, quasi nimirum hunc nummum cuderint ut monumentum esset Concordiæ inter ipsos initæ. In aliis nummis harum urbium, stant Diana & Æsculapius, verùm in hoc quod observatu dignum est, manibus eorum signa reverenter admodum & religiosè geruntur, ut suâ auctoritate pacta Concordiæ confirment & sacrosancta reddant. Frequens est in nummis hæc vox Ο Μ Ο-Ν Ο Ι Α, ad significandam concordiam inter duas vel plures civitates per Deorum numen juratam, unde non modo Ephesii & Pergameni Deos suos,

Dianam & Æſculapium, numiſmatibus ſuis inſculpi curavere, ſed Laodiceni etiam Jovem, Smyrnenſes Nemeſin, vel Fortunam, Alexandrini Serapidem, & alios Tutelares Deos procuderunt. At notiora nobis ſunt fœdera Romanorum, & formula verborum quâ Deos teſtes fœderum ſuorum vocabant, & mala imprecabantur iis qui fœdera violaturi eſſent. Ita apud *Livium* Quintius Cincinnatus Dictator, cum Præneſtino exercitu manum conſerturus: *Adeſte*, inquit, *Dii teſtes fœderis, & excipite pœnas debitas, ſimul vobis violatis, nobiſque per veſtrum Numen deceptis.* Qui mos antiquiſſimus fuit, & à primis Urbis temporibus, ut liquet ex verbis Fecialis inter

Ro-

Romanos & Albanos fœdus percutientis, qui Jove ut exaudiret ex rupe Tarpeja invocato, *Illis legibus*, ait, *Populus Romanus prior non deficiet, ſi prior defecerit, publico conſilio, dolo malo, tu illo die Populum Romanum ſic ferito, ut ego hunc porcum hodie feriam.* Ad concordiam hanc Pergamenorum & Epheſiorum referri debere videtur oratio *Ariſtidis de Concordia*, quam Pergami habuit, & in qua hujus urbis cives, ut deponant diſſenſiones cum Epheſiis & Smyrnenſibus, & cum iis fœdus ineant, hortatur. Controverſiæ inter haſce civitates inde oriebantur, quod unaquæque inter Civitates Joniæ & Aſiæ primas obtinere vellet, ut fuſè oſtendit idem Ariſtides.

Ex viris qui ſtatuas manibus gerunt, alter eſt barbatus & pallio partim denudatus, cum baculo in ſiniſtra, uti pingitur Æſculapius: alter venabulum habet cum ſtatua Dianæ.

ΑΥΚΑΙϹΑΡϹΕΠΤϹΕΟΥΗΡΟϹΑΥΓ
ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΙΑ
ΠΕΡΙΝΘΙΩΝ
ΝΕΩΚΟΡΩΝ

7.

AY. KAICAP. CEΠT. CEOYHPOC AYΓ. *Imperator Cæſar Septimius Severus Auguſtus.* Caput Septimii Severi laureatum, pectore partim armato.

ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΙΑ ΠΕΡΙΝΘΙΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ. *Philadelphia Perinthiorum Neocororum.* Duo templa in honorem Antonini Caracallæ & Getæ fratris ejus. Cernuntur ſupra, duo vaſa cum palmis, quæ reſpiciunt ludos in honorem Caracallæ & Getæ, Perinthi celebratos, qui dicti fuerunt *Philadelphia*, ab amore duorum fratrum, licèt ſe minime amarent, imò contrà maximo odio ſeſe invicem proſequerentur. Credibile eſt hos lu-

ludos eoſdem eſſe qui vocabantur *Actii Pythii* & in honorem Apollinis inſtituti fuerant, idque colligitur ex nummo ejuſdem Severi, quem exhibuit Clariſſimus Triſtanus, ubi eſt mulier manibus ſuſtinens hæc duo templa, quæ Concordia eſſe creditur. Inſcriptio eadem eſt, niſi quod infra legitur AKTIA, hoc modo: ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΙΑ ΑΚΤΙΑ ΠΕΡΙΝΘΙΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ, *Philadelphia Actia Perinthiorum Neocororum.* In oſtentationem ejuſdem amoris fraterni duorum filiorum Severi, conſpicitur tertius nummus Perinthiorum in honorem Getæ cuſus, qui ad Antoninum converſus in confirmationem mutui amoris dextram porrigit, ad demonſtrandam, po-
tiùs

tiùs quam optarent Perinthii quàm quæ revera eſſet, concordiam fratrum, qui à primis annis à Patre participes Imperii declarati, diſcordiam perpetuam aluerunt, & ſibi invicem inſidias moliti ſunt, cum ſummo Patris, qui eos fruſtra ad concordiam revocare tentavit, dolore. Hinc Perinthii, ſicut ex nummo noſtro apparet, ut obſequium Severo teſtarentur, duo templa filiis ejus dicaverunt, & inſtitutis ſacris certaminibus, dictis *Philadelphiis*, nummiſque ad perpetuam ejus rei memoriam, ut videmus, cuſis, ut ſeſe invicem amarent vota fecere.

AYT·K·MAYP·CEYH·ANTΩNEINOC·AY.
ΠΕ
PIN
ΘΙ
ΩΝ
B·NEΩKO
PΩN

8.

AYT. K. M. AYP. CEYH. ANTΩNEINOC AYΓ. *Imperator Cæsar Marcus Aurelius Severus Antoninus Augustus.* Caput Antonini Caracallæ juvenis, pectore armato. In humero sinistro cernitur chlamys pellicea, vel gausape, de quo ad numisma Commodi num. V.

ΠΕΡΙΝΘΙΩΝ B. NEΩKOPΩN. *Perinthiorum bis Neocororum.* Antoninus in Quadrigis triumphalibus alterâ manu sceptrum alterâ lauream gerens. A tergo adstat Victoria coronam in caput Imperatoris tollens. Currum antecedit pegma cum trophæo inter duos captivos, quod quibusdam Arcus triumphalis videri queat; sed credi-

mus nos esse unum ex ferculis, seu feretris, quæ in pompa triumphali circumferri solebant. Itaque hic est monumentum triumphi Antonini Caracallæ, quem ei permisit Septimius Severus propter victoriam ex Parthis, Arabibus, & Adiabenis ab ipso Severo, cum Regiam civitatem Ctesiphontem expugnavit & Artabanum Regem in fugam egit, reportatam. Hinc Perinthii, qui huic Imperatori devotissimi erant, lætitiæ suæ reliquerunt hoc monumentum, quod nobis pompam triumphi Antonini exhibet. Triumphum illum fuisse splendidissimum, præter Arcum Severianum, qui etiamnum superest & sub Capitolio stat, ostendit *Spartianus*, ubi de secunda victoria, quam ex

ex Parthis reportavit Severus: *Inde in Syriam rediit victor, & Parthicum deferentibus ſibi Patribus triumphum, idcirco recuſavit, quod conſiſtere in curru affectus articulari morbo non poterat, filio ſanè conceſſit triumpharet.* Antoninus ergo loco Severi arthritide laborantis triumphavit. *Tertullianus* qui tum erat Romæ, teſtatur ſe vidiſſe gemmas pretioſiſſimas, quibus ornatus hic fuit triumphus. De bellis hiſce & victoriis Severi multa habet *Epitome Dionis*, ſed præſertim *Herodianus* qui diſtinctius omnia narrat. Unde colligimus primam victoriam Parthicam reportatam fuiſſe poſt mortem Nigri, poſtquam Severus filium Antoninum, tum tredecim annorum, participem Imperii fecit. Se-

cundam reportavit Septimius extinctis morte Albini civilibus discordiis. Ad pompam triumphalem quod attinet in hoc nobili nummo pictam, stat in quadrigis Antoninus cum sceptro & laurea, juxta antiquum morem, & quia qui triumphabat ultimus in pompa, præcedentibus captivis & spoliis, procedebat, videmus hîc ferculum antepositum cum duobus Parthis pileatis & captivis, vinctis à tergo manibus, & trophæum cum armis trunco affixum sustinentibus. Ejus moris exemplum nobis exhibet *Silius Italicus* in descriptione triumphi Scipionis, ubi Syphax pompam præcedit:

Ante Syphax feretro residens captiva premebat

Lu-

Lumina , & auratæ servabant colla catenæ.

Solitos etiam fuisse captivos trophæo vincere, discimus ex his *Senecæ* verbis *in Troade*:

Argolici præda triumphi
Subjecta feret colla trophæo.

Feretris portabantur statuæ Regum devictorum, & Provinciarum subditarum, cum hostium armis ac spoliis, ut multis exemplis constat. Unum duntaxat afferemus ex Plinio in Panegyrico Trajani: *Videor intueri immanibus ausis Barbarorum onusta fercula, & sua quemque facta virtutis manibus sequentem, mox ipsum se sublimem, instantemque curru domitarum gentium.* Quæ verba aversam hanc nummi nostri faciem egregiè illustrant. Et cùm antiquioribus Reipubli-

cæ temporibus à tergo Triumphantis ſtaret Servus publicus, ſeu Carnifex, coronam auream capiti triumphantis impoſitam ſuſtinens, ut ſuperbiam ejus coërceret: Imperatores facti rerum Domini, loco Servi illius, currum ornarunt ſtatua Victoriæ, quam videmus hîc manibus ſublatis lauream ad caput Antonini attollere, quod frequentiſſimè in marmoribus & nummis occurrit. Itaque Perinthii in hoc nummo monumentum reliquerunt triumphi Antonini, & victoriarum Severi, propter beneficia ab eo accepta, cui jam à primo bello quod cum Nigro geſſerat addictiſſimi fuerant. Nimirum poſtquam Severus Nigrum & Albinum fudiſſet, & Byſantium, quò re-

reliquiæ hoſtium confugerant, pæne diruiſſet, facta eſt iſta civitas cum omnibus ſuis juris Perinthiorum, quâ occaſione etiam Antiochia Laodiceæ ſubjecta eſt. Hinc & quidem meritò Perinthii triumphum Severi celebrarunt, & iterum facti Neocori, ſtatuas erexerunt, atque ludos ſacros Actios Pythios, in honorem Septimii & Antonini, celebratum iri decreverunt, quemadmodum in Indice videmus in alio nummo Severi.

ΑΥΤΟΚΡΑΤ·Κ·ΜΑΡΚΟϹ·ΑΥΡ·ΑΝΤΩΝΕΙΝΟϹ
ΛΑΟΔ
ΠΡΩΤΩΝ.ΓΝ
ΕΩΚΟΡΩΝ

9.

AYTOKPAT. K. MAPKOC· AYP. ANTΩNEINOC· *Imperator Cæſar Marcus Aurelius Antoninus.* Caput Baſſiani Antonini Caracallæ, filii Septimii Severi, pectore lorica armato, cujus medio inſculptum eſt caput Meduſæ.

ΛΑΟΔ. ΠΡΩΤΩΝ Γ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. *Laodicenſium Primorum ter Neocororum.* Inſcriptio quæ in ora nummi erat planè eſt corroſa, ac proinde legi non poteſt. Fortaſſe in ea erat nomen Prætoris ſub quo cuſus eſt nummus. Antoninus equo inſidens cum milite pedibus ſequente coram ſtatua Palladis.

Ad nomen quod attinet *M. Aurelii Antonini*, quod circa ca-

put Caracallæ legitur, notum eſt Caracallam eo uſum eſſe in nummis Latinis, & Græcis, quia pater Severus particeps Imperii factus, mutaverat primum ejus nomen quod erat *Baſſianus*, & nomen illud ei indiderat in honorem optimi Imperatoris M. Aurelii Antonini, cujus & ipſe ſe filium vocitabat.

Jam ſi quæramus ſenſum nobilis hujus nummi, & occaſionem ob quam Imperator ſtat coram ſigno Palladis, & quidem averſo vultu, & manu retrorſum porrecta, haud difficulter votis fruemur. Primò obſervandum eſt, hîc deſcribi expeditionem aliquam Antonini, qui equo iter ſequente milite conficit, & ad Parthos profici-

ciſcitur, ut eis bellum inferat, quemadmodum priùs profectus erat, unà cum patre Severo, unde & triumphum obtinuerat, ut liquet ex præcedente Perinthiorum nummo. Poſtea cùm Patri ſucceſſiſſet, rurſus bellum movit adverſus Parthos, & cùm in Syriam perveniſſet, inviſit Laodiceam, quæ ipſi addictiſſima erat, memoriæque ac nomini patris, cujus partes contra Nigrum amplexa fuerat, devotiſſima. Unde manifeſtò colligitur Antoninum auxilium Palladis Laodicenſis rogare, ut ſibi Dea illa in debellandis hoſtibus adſit propitia. Hinc ſtans coram illa, caput & brachium retrò flectit, manu in Parthos porrecta, quaſi Deam orans, ut iis iram, ſibi verò favorem & auxi-

lium in hoſtibus Imperio ſubjiciendis teſtetur. Palladem autem tutelarem fuiſſe Laodiceæ conſtat ex *Euſebio Lib. IV. de Præpar. Evangelica*, ubi refert ſcribere Porphyrium, huic Deæ quotannis Laodiceæ immolatam fuiſſe virginem, ſed Hadrianum ſacrificium iſtud tanquam barbarum & inhumanum, loco virginis ſubſtituto ariete, ſuſtuliſſe.

Supereſt ut aliquid dicamus de averſæ partis inſcriptione, *Laodicenſium Primorum ter Neocororum.* Magnificus eſt hîc titulus in honorem Laodicenſium, oſtendit enim eos Primatum conſequutos cùm tertiùm electi fuiſſent Neocori Syriæ. Titulus *Neocororum* ſolebat tribui præcipuis Civitatibus quæ cu-

ram

ram gerebant ſacrarum pomparum & ludorum ſolennium, qui in honorem Imperatoris celebrabantur, cui etiam templa & ſtatuas dicabant, cujus rei monumenta ſuperſunt in aliis eorumdem Laodicenſium nummis. Alioquin *Neocori* ſeu *Æditui*, qui templa & res ſacras curabant, dicebantur. Eximium hoc privilegium conſequuti ſunt Laodicenſes primum à Severo, cùm auditâ fugâ Nigri illico Magiſtratus ab eo inſtitutos, cæterosque qui ei favebant expulerunt, & Severum Imperatorem proclamarunt. Quod Niger miſſis Sagittariis & Numidis, qui haud expectato impetu urbem ſubitò captam diripuerunt & devaſtarunt, graviter ultus eſt. Poſt mortem ve-

rò Nigri, Severus victor rediens, Antiochiæ, quæ ipsi adversata fuerat, omnia privilegia & honores, ac Primatum etiam Syriæ eripuit, quæ omnia tribuit Laodicensibus, uti scribunt Herodianus & alii, prout & in nummo nostro legimus, *Laodicensium Primorum ter Neocororum*. Attamen Antoninus postea Antiochenis condonavit, & antiqua privilegia restituit.

Hinc certò etiam colligimus, inter varias urbes, quæ Laodiceæ nomen tulerunt, hanc de qua nummus noster, esse Laodiceam Syriæ civitatem maritimam.

AYT·K·M·AVPH·ANTΩNINOC
ANTΩNEINIANΩNK
NEΩKOP
ΩN

10.

AYT. K. M. AYPHΛ. ANTΩNINOC. *Imperator Cæſar Marcus Aurelius Antoninus.* Caput Antonini Caracallæ laureatum, dimidia parte pectoris armatâ, cum manu haſtam humero innixam tenente.

ANTΩNEINIANΩN. K. & infra NEΩKOPΩN. *Antoninianorum Neocororum.* Reliquæ literæ corroſæ legi nequeunt. Eſt Imperator armatus ſeu paludatus, ſtans inter duo vexilla, altera manu haſtam tenens, alterâ coronam, & ad cujus pedes eſt ſcutum. Putamus inſcriptionem corroſam partim ſuppleri hac ratione poſſe: ANTΩNEINIANΩN. TAPCEΩN,

CEΩN. NEΩKOPΩN. *Tarſenſium Antoninianorum Neocororum.* Exſtat nummus Tarſenſium cuſus in honorem ejuſdem Caracallæ, qui præter cognomen Antonini, habet etiam nomina Severi Patris,& Adriani qui Tarſum beneficiis ornarunt & inſtaurarunt, cujus nummi inſcriptio ſic deſcribitur à Triſtano AΔP. CEOYH. ANTONEIN. MHTP. TAPCOY. *Hadrianæ Severæ Antoninianæ Metropolis Tarſi.* Multi alii cum iiſdem cognominibus & titulis apud Philippum reperiuntur. Ex hiſce nummis diſcimus, Severum & Antoninum ejus filium faviſſe multum civitati Tarſo, quandoquidem eam nominibus ſuis & privilegiis ornarunt, quod credibile eſt inde ortum eſſe, quod hæc

hæc urbs Ciliciæ Metropolis in eorum partibus fuerit, eoſque juverit in bellis, quæ in Oriente adverſus Nigrum geſſerunt, Niger occupatis & munitis Tauri montis faucibus, quæ ſunt inter Ciliciam & Cappadociam, tranſitum Severo præcluſerat, ſed hic eas cepit, & fuſum ac fugatum Nigrum ad mortem, haud procul Antiochiâ, adegit. Videtur itaque iſtius victoriæ monumentum eſſe corona, quam Antoninus paludatus dextrâ gerit; & ipſe Antoninus cum exercitu commoratus eſſe Tarſi, priuſquam in Syriam tranſiret, cujus rei argumentum ſunt vexilla ſeu ſigna militaria terræ ad latera Imperatoris infixa.

ΑΥ·Τ·Κ·Μ·ΟΠ·ϹΕΟΥ·ΜΑΚΡΕΙΝΟϹ·ΔΙΑΔΟΥΜΕΝΙΑΝΟϹ
ΜΗΤΡΟΠΟΛ ΚΑΙϹΑΡΙΑϹ
ΝΕΩΚΟΡΟΥ
ΕΤ Β

II.

AYT. K. M. OΠ. CEOY. MAKPEINOC. *Imperator Cæſar Marcus Opelius Severus Macrinus.*

ΔΙΑΔΟΥΜΕΝΙΑΝΟC. *Diadumenianus.* Duo capita ſeſe invicem reſpicientia, quorum alterum eſt Macrini laureatum, alterum eſt Diadumeniani filii ſine laurea.

ΜΗΤΡΟΠΟΛ. ΚΑΙCΑΡΙΑC. ΝΕΩΚΟΡΟΥ. ΕΤ. Β. *Metropoleos Cæſareæ Neocoræ, anno ſecundo.* Mons ſaxoſus & ſenticoſus, arboribus circumdatus, cum Templo infra montem. Sitùs excelſi hujus montis, manifeſtò oſtendit, hîc notari Cæſaream Cappadociæ Metropolin ſub monte Argæo ſitam & olim Mazacam dictam, de qua *Plinius, ſub monte Argæo Ma-*

Mazacam quæ nunc Cæsarea nominatur. Eruditè & appositè *Tristanus* in expositione faciei aversæ hujus nummi, probat hanc Urbem esse patriam Macrini, non Cæsaream Mauritaniæ. Hinc Cæsarienses iterum à Macrino titulo Neocororum ornati, Templum ædificarunt, & cuderunt hunc nummum, in memoriam hujus Imperatoris civis sui, & Diadumeniani filii. Mons Argæus sentibus asperrimus hîc circumdatur sylva, quam scribit *Strabo* commodissimam fuisse Cæsareæ, imò & toti Cappadociæ, quæ lignis destituta, ea ex hoc monte petebat: *Cùm enim lignis careat ferè tota Cappadocia, Argæus habet circumpositum nemus, ita ut è proximo lignari praesto sit.* Notatu digna est altitudo hujus montis, cujus apex ferè inaccessible-

ces-

ceſſus eſt; ſubjungit enim idem Geographus, eum perpetua nive tectum eſſe, & ex eo, licet pauci eò pervenire queant, mare Ponticum & Iſſicum proſpici: *Sita eſt Mazaca ſub Argæo monte omnium altiſſimo, & nunquam nivibus ſummitatem deſtitutam habente, ex qua ajunt qui aſcendunt (hi verò ſunt pauci) cerni ſudo aëre ambo maria, Ponticum & Iſſicum.* Narrat præterea *Strabo* in locis Sylvæ circumjacentibus & aliis, ſub herbida ſuperficie ſolum ignes & aquas frigidas celare, non ſine periculo hominum & animalium, quæ illac incedunt. Ideò in hac imagine montis Argæi, & in aliis, quæ in variis nummis cernuntur, eſt expreſſa veluti vorago quædam, quæ videtur eſſe crater à vaporibus igneis

igneis, quibus gravidum eſt ſolum, apertus, licèt in agris ſylvæ circumjacentibus manifeſtò non erumpant. Ad titulum Metropoleos quod attinet, Cæſaream matrem urbium dictam fuiſſe à Cappadocibus, diſcimus non modò ex *Martiano Capella*, ſed ex *Solino* etiam cujus verba à laudato *Triſtano* allata ſunt: *Mazacam ſub Argæo monte Cappadoces Matrem urbium nominant.* Et quia, ut ſupra notavimus, ad Neocoros pertinebat ædificatio Templorum & celebratio ludorum & certaminum ſacrorum, duo vaſa vel dolia ad latera Templi collocata, hic ſunt ejus rei argumentum, in iis enim ſolebant collocari palmæ victorum præmia, ut & ſupra vidimus ad num. VII.

12. Imp.

IMP.GORDIANVS.PIVS.FELIX AVG
AEQVITAS AVGVSTI

12.

IMP. GORDIANUS. PIUS. FELIX. AUG. *Imperator Gordianus, pius, felix, Augustus.* Caput Gordiani juvenis laureatum, pectore armato, manu hastam humero innixam tenentis.

AEQUITAS AUGUSTI. Tres Monetæ.

Nummus hic in facie adversa imaginem habet juvenis Imperatoris, cujus thoraci insculpta est pugna, & victoria quam de Persis & Rege Sapore reportavit, de qua ad sequentem nummum. Cernitur in hac imagine Gordianus ipse, equo insidens & hastâ premens hostes, eósque humi afflictos calcans. Hoc Heroicum ornamentum in Tho-

race rariſſimum eſt, ſolebat e-
nim potiùs clypeis inſculpi,
juxta Poëtarum deſcriptiones,
qui Heroum ſuorum facta ipſo-
rum clypeis inſculpta fuiſſe o-
ſtendunt. Itaque hic in facie
adverſa eſt, quod in averſâ eſſe
deberet, ubi ſunt tantùm tres
Monetæ.

Hæ hîc in uſitata formâ ap-
parent, cum libra, cornu copiæ
& cumulis nummorum aureo-
rum, argenteorum & æreorum
qui ad eorum pedes conſpi-
ciuntur. In aliis nummis legitur:
Moneta Auguſti, ſed hic eſt *Æ-
quitas Auguſti*, quaſi Æquitas
& Dea Moneta ſit una atque
eadem, propter juſtum pondus
quod requiritur in nummis.
Æquitas non tantùm conſidera-
tur ut comes Juſtitiæ, quaſi
præ-

præmiis duntaxat & pœnis præsit, sed instar Deæ, quæ iis omnibus præest, in quibus æqualitas requiritur. Sic etiam finxerunt in Zodiaco Virginem esse cum Libra, ut denotarent hanc adæquare noctes diebus, juxta illud Manilii,

Æquato tum Libra die cum tempore noctis.

AYT·K·M·ANT·ΓO ΡΔΙΑΝΟC·AYΓ
ΠΕΡΙΝΘΙΩΝ ΙΟΝΩΝ ΝΕΟΚΟΡ ΩΝ

13.

AYT. K. M. ANT. ΓΟΡ-ΔΙΑΝΟC. AYΓ. *Imperator Cæsar Marcus Antoninus Gordianus Augustus.* Caput Marci Antonini Gordiani junioris, filii M. Antonini Gordiani, qui Africanus dictus est, coronatum lauro, cum pectore armato.

ΠΕΡΙΝΘΙΩΝ. ΙΩΝΩΝ. ΝΕΟΚΟΡΩΝ. *Perinthiorum Jonum Neocororum.* Serapis & Dea Concordia ad aram stant. Pingitur Deus Serapis eâ formâ quam illi tribuunt Ægyptii, cum modio seu calatho capiti imposito, quod Symbolum est fertilitatis. Erat Deus tutelaris Perinthiorum, ut ex aliis eorum nummis liquet; sed dignum est

 nota-

notatu in hac averſâ nummi noſtri facie, quod ſiniſtrâ haſtam ſeu ſceptrum, dextrâ verò ſublatâ coronam gerat. Hoc videtur denotare victoriam, quam Gordianus, favente hoc numine, de Perſis & Sapore Rege, qui per civiles diſcordias, provincias Romanas ingreſſi fuerant, & Italiam ipſam terruerant, reportavit. Gordianus aperto Romæ Jani templo iis bellum intulit, commiſſo exercitu fidei & fortitudini Miſithei ſoceri, Præfecti Prætorii, ac viri rei militaris peritiſſimi. Primum in Moeſia Imperator Perſas fudit, atque ex Thracia expulit. Tum recuperatâ Antiochia, in Meſopotamiam & Aſſyriam magnis itineribus contendit, ubi Carras

Carras & Niſibin, præcipuas civitates, Perſis jam ſubditas, Imperio Romano vindicavit. Itaque liberatâ Thracia, in qua erat Perinthus, & hoſtibus, qui tanto terrori fuerant, intra fines ſuos coërcitis, in publicæ lætitiæ monumentum, ob tam nobilem victoriam cuſus eſt hic nummus. Nec dubium quin victor Imperator, penetraturus fuiſſet Cteſiphontem uſque, Regiam Parthorum Principum, niſi inſidiis Philippi è medio ſublatus eſſet. Perinthii hoc monumento ſignificare voluerunt auxilium Dei ſui Serapidis, qui ipſorum ſacrificiis Imperatori conciliatus, victoriam ei de Sapore tribuerat, ideóque Deum coronam manu gerentem, quaſi Victoriæ datorem & conſer-

vatorem pingunt, unde & dicebatur *Servator & Invictus.*

Concordia in omnibus nummis Romanis pingitur cum patera & cornu copiæ præ manibus, & respicere potest concordiam exercituum sub bono Imperatore Gordiano, & fidâ Misithei operâ.

Inscriptio *Perinthiorum Jonum*, nummum hunc rarum & quantivis pretii reddit: nam apud nullum Geographum aut scriptorem fit ulla distinctio Perinthiorum. Unius duntaxat meminerunt Perinthi civitatis, non Joniæ, sed Thraciæ atque ad Propontidem sitæ, quæ primum Mygdonia, deinde Heraclea dicta est, cùm hinc discamus nihilominus eam ex Joniâ ortum duxisse. Ad hujus rei expli-

plicationem conjecturam aliquam nobis ſuppeditat *Strabo*, dum Lib. VIII. non ſolum Regionem, quæ pars eſt Aſiæ minoris dictam Joniam, ſed primum Atticam & Peloponneſum Joniæ nomen tuliſſe ab Jone Deucalionis filio; qui Jon, Eumolpo & Thracibus debellatis, ab Athenienſibus ſuæ Reipublicæ præfectus eſt. Unde conjicere eſt, aliquam Coloniam ab Jone victore miſſam eſſe in Thraciam, uti ſolebant poſt reportatas victorias, & colonos Jonas condidiſſe civitatem Perinthum, aut ſaltem ſedem in ea poſuiſſe. Conjecturam hanc firmiorem reddit Strabo Lib. VII. ubi ait Homero ignotam fuiſſe Paphlagoniam maritimam, quia ejus tempore mare

iſtud erat inacceſſum tum propter inclementiam cæli frigidioris, tum propter crudelitatem accolarum, ſed tandem Jonum commerciis apertum fuiſſe, ita ut ſine periculo adiretur, & occurrerent etiam circa illud civitates ab Jonibus conditæ. Itaque mare illud quod prius Ἄξενον, id eſt, *inhoſpitale* dicebatur, poſtea dictum fuit Εὔξενον, id eſt, hoſpitibus apertum. Unde colligo neceſſe fuiſſe, Jonas priusquàm ad Pontum Euxinum pervenirent, Helleſpontum, deinde Propontidem, ad cujus ſiniſtram partem ſita eſt Perinthus Jonum civitas, tranſnavigare. Hæc urbs, quæ ſola ita vocabatur, poſterioribus temporibus Imperii Romani dicta eſt *Heraclea*, cùm obtinuiſſet

nuiſſet à Severo primatum & omnia privilegia Byzantinis erepta, ut ſupra notavimus ad nummum Caracallæ. Et licèt Byzantinis reſtituta fuiſſent privilegia & primatus, attamen in rebus ſacris Metropolitanus Perinthius ſemper retinuit, & etiamnum conſervat jus ordinandi Patriarchæ Conſtantinopolitani, ut ſcribunt *Zonaras* & *Balſamon* ad Can. 3. Concilii Conſtantinop. *Zonaræ* hæc ſunt verba: *Erat ſiquidem Urbs antiqua Byzantium, quæ ſuis legibus uſa eſt. Severo autem Romanorum Imperatore, per Romanos obſeſſa & bellum per triennium paſſa, tandem rerum neceſſariarum inopiâ laborantibus capta eſt, & mœnia quidem ejus ſolo æquata, juráque civilia ablata, & ipſa Perinthiis ſubjecta fuit. Eſt ve-*

rò Perinthus, quæ alio nomine Heraclea, atque hinc Heracleensi Antistiti Patriarchæ ordinatio attribuitur, ut per quem Episcopo Byzantino manus sunt impositæ. Balsamon ad eundem Can. *Ipsa quidem urbs Byzantina Archiepiscopi*, inquit, *honorem non habebat, sed ab Heracleæ Metropolitano Episcopus aliquando in ipsa ordinabatur.... Scribitur enim quod etiamsi esset Byzantium civitas, quæ per se regeretur, à Severo tamen Romanorum Imperatore obsessa est, & Perinthiis subjecta est. Est autem Perinthus Heraclea.* Ex hisce apparet, Perinthum nullo modo esse quæ hodie *P*[illegible] vel *Galata*, ut put[illegible] *[illegible]aterranus* & alii, quandoquidem Pera non est sita ad Propontidem, sed è regione Byzantii vel Constantinopoleos, à

qua

qua tantùm anguſto Boſphori Thracii freto ſeparatur, & cujus eſt veluti ſuburbium, cùm nec Epiſcopum nec Metropolitanum habeat. Sed Heraclea, quæ prius dicebatur Perinthus, ſita eſt ad Propontidem, & habet etiamnum Epiſcopum ac Metropolitanum, qui hodie etiam jus habet conſecrandi Patriarchæ Conſtantinopolitani. *Ferrarius* in *Theatro* ſive *Lexico Geographico* affirmat ſimiliter, Perinthum eandem eſſe cum Heraclea ad Propontidem ſita, quæ Byzantio ſexaginta milliaribus diſtat, cùm Pera ſita ſit ad Boſphorum Thracium, è regione Byzantii, quaſi pars ejus, uti jam diximus. Idem *Ferrarius* putat Peram eſſe antiquam Sycam Strabonis, aliter vocatam Ga-

Galatam, quam Latini, ac præſertim Genuenſes tenuerunt ab Anno MCCLXII. acceptam à Mahomete II. cum Conſtantinopolis capta eſt.

14. Con-

CONCORDIA AVGVSTORVM
ADVENTVS AVGG

14.

CONCORDIA AUGUSTORUM. Duo capita Imperatorum Philipporum, Patris & Filii, ſe invicem reſpicientia; Patris laureati ad ſiniſtram, Filii ad dextram ſine laurea.

ADVENTUS AUGG. *Adventus Auguſtorum.* Tres viri equitantes, manu dextra porrectâ, caduceatorum more. Jacent ad eorum pedes duo capitivi, ſequentibus à tergo quinque militibus, cum tribus cohortium ſignis. Præcedit Victoria lauream & palmam gerens, quam ſequitur unus ex iiſdem militibus palmeum ramum ad caput Imperatoris, in ſignum victoriæ & triumphi, attollens. Duo ex tribus

bus hisce equitibus sunt sine dubio ambo Philippi, ad quos titulus *Augustorum* pertinet, tertius potest esse Lucius Priscus, Philippi frater, Syriæ ab eo præfectus. Morte Gordiani Philippus occupato Imperio, ita festinavit Romam redire, ut cum Sapore Persarum Rege pacem ignominiosis Populo Romano legibus iniverit, concessis nimirum duabus provinciis Assyriâ & Mesopotamia. Hinc cum primùm Romam venit parum lætè exceptus est, cum pro tanta jactura, victo jam ac fugato Sapore à Misitheo sub imperio Gordiani, triumphus expectaretur. Igitur pudore commotus Philippus, bellum Persis intulit, & tantum terrorem Sapori incussit, ut sine contro-
ver-

versia, uti auctor est Pomponius Lætus, duas istas provincias restituerit. Redeunte Romam Imperatore, unà cum filio & fratre Syriæ præfecto, inter plausus ob victoriam & felicem adventum, cusus est hic nummus, in quo tres Philippi equis insidentes conspiciuntur.

In omnibus numismatibus, in quibus est vox *Adventus*, sive cusæ sint propter adventum in Urbem, aut in Provinciam aliquam, aut ad exercitum, Imperator eodem modo conspicitur manu protensâ, securitatem, pacem & salutem nuntians, quod observare est præsertim in nummis Adriani. Eo gestu efficta erat statua equestris Domitiani, cùm ex Germania rediit, ut discimus ex Statii de-

scrip-

ſcriptione. Eum quoque geſtum refert ſtatua M. Aurelii, quæ ipſi erecta fuit, cùm Marcomannorum, Quadorum & Sarmatarum victor rediit, quæque hodie in Capitolio cernitur. Nimirum hoc ſolebat obſervari in ſtatuis Regum & Principum, qui præſentiâ ſua populis ſuis ſecuritatem ac felicitatem afferebant. Eſt aliqua difficultas in explicatione equitis, qui eſt ad latus dextrum, neque enim ſatis diſtinctè cerni poteſt, unde videtur quibuſdam eſſe capite velato & veſte diffuſa, atque Otacillam uxorem Philippi, quæ virum & filium in expeditione Perſica comitata erat; referre; quam in conjecturam non deſunt argumenta; ſed ſequuti ſumus pro-

babiliorem opinionem, quæ Priſcum eſſe contendit, ſi quid certius deprehendi queat, amplexuri, quandoquidem in hoc nummo, licèt integro, ſingulæ perſonæ non ſatis diſtinctè apparent. Priſci autem Zozimus & Aurelius Victor meminerunt.

CONCORDIA AVGVSTORVM
P. M. TR. P. III COS.

15.

CONCORDIA AUGUSTORUM. *Concordia Auguſtorum.* Tria capita, duo conjuncta, Philippi ſcilicet & Otacillæ, Philippi filii caput reſpicientia.

P. M. TR. III. COS. *Pontifex Maximus Tribunitia poteſtate Tertiâ Conſul.* Dolendum eſt tam egregium nummum ita ferrugine corroſum fuiſſe, ut integræ figuræ cerni nequeant. Attamen magnifica adhuc imago cernitur inſignis largitionis Philippi in celebratione novi ſeculi. *Octavius Strada* exhibet numiſma alius maximi moduli ejuſdem Imperatoris, in cujus facie averſa deprehenduntur, ut in hoc noſtro, tres

viri togati sedentes, & tres alii similes è regione, in medio quorum ambo Philippi pater & filius in sublimiori suggestu sedent. Ulterius est populus, Viri nempe, Mulieres & pueri, qui concurrunt ad accipiendum Congiarium, quod expressum est in viro quodam qui tesseram tenet. Literæ vero ambientes sunt: P. M. TR. P. III. COS. II. PP. Sunt tamen hic duæ figuræ ante alias, quæ exprimunt duos milites Prætorianos, ex Imperatoris custodia. Novum sæculum, seu annus millesimus ab Urbe Condita, ab Imperatore celebratus est ludis sæcularibus, in quibus præter pompam spectaculorum & sacrificiorum, Congiarium populo dari, & magna liberalitas in eum exerceri so-

solebat. Reperiuntur alia Philipporum amborum numismata, in quibus cernuntur monumenta Congiarii populo dati, quod notatur III. Consulatu Philippi patris, qui in quartum annum imperii ejus incidit, quo sæculares ludos & millesimum Romæ natalem celebravit. Sed dubium esse potest, an hic nummus cusus fuerit anno millesimo ab Urbe Condita, quia notatur Tribunitiâ Potestate Tertia, ac proinde tertio, non quarto anno Philippi, quo fuit tertiùm Consul; & annum millesimum celebravit. Unde quis posset colligere hunc nummum, & alium de quo *Strada*, anno antea cusos fuisse, ac proinde ad millesimum non pertinere. Verum hæc objectio solvitur au-

toritate *Baronii*, qui merito obſervat, milleſimum annum non debere numerari à Calendis Januarii, ſed à die natali Romæ, hoc eſt, Palilibus, ſeu XI. Calend. Majas, quæ dies in 21 Aprilis incidit. Itaque Milleſimus annus ex duobus annis partem aliquam trahit, & præcedenti initium ducens ſequente demum terminatur, ac proinde incidit in ſecundum & tertium Conſulatum Philippi, hoc eſt, tertium & quartum ejus Imperii annum. Ita *Baronius* ad A. C. CCXLIX. *Quod verò in antiquis nummis* Sæculares Augg. *notati inveniuntur, Conſulatu patris Philippi* III. *filii verò* II. *qui contigerunt ſequenti anno, ea ratione accidiſſe putatur, quòd annos, qui ab V. C. conſueverant*

rant numerari, non à Cal. Jan. Romani auſpicabantur, ſed à Natali Urbis, ipſis Palilibus, nempe XI. *Cal. Maji, ſicque hoc anno Urbis milleſimus inchoatus, ſequenti anno, die* 21. *Aprilis, fuerit abſolutus, complexúſque fuerit Conſulatum Philippi ſecundum & tertium.* In noſtro porrò numiſmate conſpiciuntur præterea cancelli, quibus populus in ampliſſimo ſpatio, feſto ejuſmodi die continebatur, qua re deſcribi videtur Campus Martius, ubi celebrari ſolebant ſæculares ludi, juxta Caſſiodorum & Zozimum.

AVT·K·M·IOVΛ·ΦIΛIΠΠOC·AVΓ·
EΠI M·AVP·AΛEΞANΔPOV
B
BEΛ·APXI·AΠA
MEON

16.

AYT. K. M. IOYΛ. ΦΙΛΙΠ-ΠΟC. AYΓ. *Imperator Cæſar Marcus Julius Philippus Auguſtus.* Caput Philippi filii vultu juvenili.

ΕΠΙ. M. AYP. ΑΛΕΖΑΝ-ΔΡΟΥ. B. ΒΕΛ. ΑΡΧΙ. ΑΠΑ-ΜΕΩΝ. Ἐπὶ Μάρκȣ Αὐρελίȣ Ἀλεξάνδρȣ, δεύτερον βελτίςȣ Ἀρχιερέως Ἀπαμέων. *Sub Marco Aurelio Alexandro ſecundùm præſtantiſſimo Pontifice Apamenſium. Octavius Falconerius*, quem recens amiſſum deflent adhuc optima Studia atque Humaniores Literæ, in erudita ſua Diſſertatione *de nummo Apamenſi*, interpretatur in hac facie averſa literas BEΛ. hoc eſt βελτίςȣ, *optimo ſeu potiùs*

præstantissimo. Hoc numisma quod unicum est, ab eo recensetur inter alios nobiles nummos Excellentissimi *D. Augustini Chigi*, *Principis Farnesii.* In eo exprimitur Leo ante thyrsum, supra quem collocata est seu cista sacra, seu arca Eurypili, de qua *Pausanias*, cui inclusum erat simulacrum Bacchi, ut putat idem *Falconerius*; utraque enim pertinebat ad mysteria Bacchi, quæ eadem erant cum mysteriis Cybeles vel Rheæ, quæ hîc sub figura Leonis pingitur, quomodo adorabatur præsertim in Phrygia. Non liquet, an hîc significetur Apamea Phrygiæ vel Syriæ, cùm utraque inter ejus nominis civitates celebris esset, licèt idem Falconerius respici putet Apameam Syriæ, pro-

propter vicinitatem Hierapolis, ubi erat Deæ Syriæ ſeu Cybeles templum celeberrimum. Leo licèt proprius Cybeles, ipſi tamen communis erat cum Baccho, quem educaverat, & docuerat conſcendere Leones, & currui conjungere, ut docet *Nonnus* in Dionyſiacis; prætterquam quòd Bacchus ſæpius formam Leonis aſſumſit, non tantùm quando coactus fuit ſeſe adverſus Piratas defendere, ſed etiam quando in Gigantes pro Jove pugnavit. Ideòque in pompa Bacchi, quam deſcribit *Calliſtratus Rhodius* apud Athenæum, inter alia memorabilia, ad myſteria hujus Dei pertinentia, ducebantur viginti quatuor magni Leones.

MARCIA OTACIL SEVERA AVG
TEMPORVM FELICITAS

17.

MARCIA. OTACIL. SEVERA. AUG. *Marcia Otacilla Severa Auguſta.* Caput Marciæ Otacillæ uxoris Philippi.

TEMPORUM. FELICITAS. Otacilla ſedens in throno inter duas ſtatuas, unam Pacis, alteram ſalutis, cum duobus liberis ad eam converſis & manus porrigentibus.

Duos pueros qui hîc apparent, eſſe duos liberos Otacillæ & Philippi, iiſque Felicitatem temporum deſignari, credibile eſt. Similes inſcriptiones eodem ſenſu leguntur in aliis nummis, & præſertim utriuſque Fauſtinæ: TEMPORUM. FELICITAS: SÆCULI. FE-

LICITAS. adjectis gemellis ac prole imperiali, ad designandam felicitatem ac firmitatem Imperii, quæ nititur filiis, patri successuris. Eodem honore Otacillam, Imperium & Augustæ titulum adeptam, prosequi voluerunt. Cernitur hîc velo & habitu Pudicitiæ ornata, throno insidens, ac conversa ad puerum sinistræ adstantem, cujus caput manu demulcet. Ad dextram stat puella, quæ unà cum fratre matrem intuetur, & ad eam palmas tendit. Duos liberos sustulit Philippus ex Otacilla. Alter patri cognominis *Marcus Julius Philippus* dictus est, Augustus creatus, & in societatem Imperii à patre adscitus, quod optime convenit cum puerili ætate, in qua in

hac

hac nummi noſtri parte averſa expreſſus eſt, quandoquidem, uti ſcribit *S. Aurelius Victor*, interfecto Patre, Romæ duodecennis trucidatus eſt, poſtquam per quinque annos conſors Imperii fuiſſet: adeò ut, cùm Pater Imperium invaſit, puer eſſet, ſeptem annos natus. Alter ex liberis Philippi fuit filia, de qua nihil extat memoriæ proditum, niſi eam matrimonio conjunctam fuiſſe Severiano, cui Philippus, ſibi Romæ eâ affinitate conjuncto, regendos tradidit exercitus Myſiæ & Macedoniæ, ut refert *Zozimus*: *Ubi Romam veniſſet Senatu ſibi conciliato, Magiſtratus ampliſſimos ſibi conjunctiſſimis tradidit. Itaque Priſcum fratrem Syriacis exercitibus præfecit, Severiano genero Myſiæ Macedoniæ-*

que copiis traditis. Hoc persuadet, præclarum hoc numisma, sub initium imperii Philippi, in honorem Uxoris & Liberorum cusum fuisse, ut ad eos amandos impellerentur Senatus & Populus Romanus, (qui junioris Gordiani mortem ægrè tulerant) quasi in iis sita essent Pax & salus Publica, unde pendet Felicitas Temporum. Itaque Otacilla conversa est ad Filium, quasi sorore minorem, quam verisimile est locatam fuisse initio Imperii Patris; alioquin cogeremur agnoscere, fuisse aliam Severi filiam, natu majorem, quam duxit Severianus. Ista efficiunt ut malimus *felicitatem temporum* referre ad duos Imperatoris liberos, quàm hoc monumentum explicare de alimen-

mentis populo exhibitis, aut *alimentariis pueris*, quorum monumentis ineſt titulus PIETAS aut ALIMENTA.

18. IMP-

IMP·GALLVS·AVG·IMP·VOLVSIANVS AVG

ADVENTVS AVGG

18.

IMP. GALLUS. AUG. IMP. VOLUSIANUS. AUG. *Imperator Gallus Auguſtus, Imperator Voluſianus Auguſtus.* Duo capita alterum Treboniani Galli patris ad dextram, alterum Caji Vibii Voluſiani filii, ſeſe invicem adſpicientia & laureata, pectore paludamento armato.

ADVENTUS. AUGG. Duo equites pariter armati & paludati. Qui præcedit & haſtam tranſverſam gerit, eſt Gallus; alter, qui haſtam inſtar ſceptri geſtat, Voluſianus. Hoc numiſma cuſum fuit Romæ, cum urbem ingreſſus eſt Gallus cum filio, quem participem Imperii & Auguſtum declaravit.

vit. Trajano Decio oppresso & interfecto, cum Quinto Erennio filio, in bello, quod cum Gothis & Scythis gerebat, Gallus, qui præerat Legioni in finibus Mysiæ, domino parum fidus, pacem inivit cum Barbaris, atque à Legione sua, & à militibus qui ad eum confugerant ex insula Meninga, vel Giaba, prout in Epitome *Aurelii Victoris* legitur, Imperator electus est. A *Sebastiano Erizzo* aliud numisma majoris moduli eorumdem Imperatorum affertur, cum iisdem vultibus, sed deficientibus literis, legitur enim duntaxat *Gallus Aug.* licet aversa pars ornata sit Victoriâ & duobus militibus, quæ in nummo nostro non sunt. Sed adeò integer est noster, &

utrin-

utrinque tam diligenter cuſus, ut figurarum exilitas non obſtet, quominus utriusque Imperatoris equitantis facies, oculis agnoſci queat.


LIC·COR·SAL·VALERIANVS·N·CAES
PRINCIPI IVVENTVTIS

19.

LIC. COR. SAL. VALERIANUS N. CÆS. *Licinius Cornelius Saloninus Valerianus Nobilis Cæsar.* Caput Cornelii Salonini Valeriani, filii Gallieni & Saloninæ, nepotis Valeriani.

PRINCIPI. JUVENTUTIS. Juvenis Saloninus armatus & paludatus cum hasta, & mundi globo in manu; quæ insignia Imperii optimè conveniunt cùm titulo Cæsaris & Principis Juventutis. Ista enim ostendunt designatum fuisse Successorem Imperatoris, juxta mentem Augusti, qui primus Cajum & Lucium Cæsarem titulo *Principum Juventutis* insignivit, ut narrat Tacitus, & ostendunt ejus

jus nummi. Inter marmorum inſcriptiones reperitur ſequens ejuſdem Salonini, quæ habet utrumque numiſmatis noſtri titulum,

P. LICINIO. SALONINO.

VALERIANO.

NOB. CÆS. PRIN. JUVEN.

VALERIANI. AUG. NEPOTI.

GALLIENI. ET. SALONINÆ.

AUG. FILIO.

MATER. PIENTISSIMA.

Quæ ad pedes juvenis Imperatoris ſedet, eſt mulier barbara captiva, quæ deſignat victoriam aliquam in bellis cum Germanis, Gothis, & Sarmatis, reportatam à patre Gallieno vel

vel ejus legatis, cujus honoris, cum aliis Imperii prærogativis, particeps factus est filius. Hæc facies aversa, licet aliis Salonini nummis communis, attamen propter raritatem numismatis majoris formæ cui inest, & quod integrum conservatum sit, à nobis inter raras est relata.

IMP.PROBVS.P.F.AVG

MONETA.AVG

20.

IMP. PROBUS. P. F. AUG. *Imperator Probus, Pius, Felix, Auguſtus.* Caput Probi laureatum, pectore armato, cum haſta tranſverſa & clypeo, in quo ſculptus eſt Imperator equitans, præcedente Victoriâ & ſequente milite.

MONETA AUG. *Moneta Auguſti.* Primus qui in nummis ſuis curavit pingi Monetam, quantùm quidem colligere potuimus, eſt Domitianus, additis Libris & Cornu copiæ cum titulo MONETA AUGUSTI. A Commodo non unam duntaxat Monetam ſed tres pinxerunt, cum eodem habitu & eodem titulo, & cum tribus cumulis

nummorum, quibus designantur metalla auri, argenti, & æris, quibus Monetæ præerant. A temporibus Gallieni & infra, imagines trium harum Monetarum in nummis adeò frequentes fuerunt, ut dum occupant locum, cui egregia facinora insculpi solebant, pretium & raritatem aversarum numismatum frontium minuerint. Verùm aliquatenus reparatur hoc damnum in iis nummis, in quibus, licet in aversa facie tres sint Monetæ, sculptum est monumentum aliquod facti cujuspiam, in eodem latere, in quo est caput; quod factum est, thoraces & clypeos, ad imitationem antiquorum Heroum, variis sculpturis ornando. Antea recensuimus numisma Gordiani, quod

eâ

eâ ratione pugnam cum Perſis & Rege Sapore, ac victoriam de iis reportatam, in Imperatoris thorace ſculptam refert. Nunc occurrit alter hic nummus qui Probi eſt, & in ſcuto Imperatoris ipſum exprimit equitantem, dextrâ protenſâ, præcedente Victoriâ cum laurea, ſequente verò milite cum trophæo ſeu ſigno militari. Hoc deſignatur nobilis hujus Augusti, poſt magnas & inſignes victorias, in Urbem adventus, adeò ut nihil hîc deſit, præter titulum *Adventus Auguſti.* Hic Heros Romam reverſus, extinctis Tyrannorum factionibus, de omnibus Barbaris, qui ab Aureliano Imperium Romanum undique verſus invaſerant, triumphavit, cùm ſoli ſuper-
 eſ-

essent Parthi domandi, quijam ferocitate amissâ in ordinem redacti fuerant. In alio majoris etiam formæ numismate, in lucem emisso ab Eruditissimo *Carolo Patino*, occurrit monumentum triumphi hujus Imperatoris, clypeo ejus insculptum, ut in hoc nostro; & in alio, ipse Probus sedens, adstante à tergo victoria, & uno ex Regibus, quos multos devicit, in genua coram ipso procumbente.

21. IMP.

IMP·C·M·AVR·VAL·MAXIMIANVS AVG.

MONETA · IOVI·ET HERCVLI AVGG

21.

IMP. C. M. AUR. VALER. MAXIMIANUS. AUG. *Imperator Cæſar Marcus Aurelius Valerius Maximianus Auguſtus.* Caput Maximiani laureatum, pectore armato & paludato.

JOVI. ET. HERCULI. ſupra ; infra verò MONETA. AUGG. Dea Moneta, pro more cum libra & cornucopiæ inter Jovem & Herculem. Sunt hîc duæ inſcriptiones, & duarum rerum monumenta in unum nummum collecta, Moneta nempe, & Jupiter atque Hercules. Sic in aliis numiſmatibus ejuſdem Maximiani, ut & Diocletiani, ſeparatim repe-rimus Jovem & Herculem ; & Deam Monetam cum iiſdem titulis SACR. MONET. AUGG.

& Jovi. Conser. Augg. Herculi. Con. Augg. *Sacra Moneta Augustorum*, & *Jovi Conservatori Augustorum. Herculi Conservatori Augustorum.* In nummo nostro subintelligitur Epithetum conservatoris: *Jovi & Herculi Conservatoribus Augustorum*; credebant enim hi Imperatores, se ab omni malo incolumes à Diis istis servari. Ab iisdem cognomina sibi fecerunt, alter *Jovii*, alter *Herculei*, altaribus & templis iisdem dicatis, ut instaurarent ac extollerent cultum Ethnicum, & Christianismum, qui tum longè ac latè sparsus erat, opprimerent. Ideò ab Ethnicis laudibus in cœlum extollebantur, ut patet ex *Mammertini Panegyrico* ad Maximianum: *Nam primùm*

mùm omnium, inquit, *quanta veſtra erga Deos eſt pietas? quot aris, templis, ſimulacris, donariis, veſtris denique nominibus aſcriptis, adjunctis imaginibus ornaſtis, ſanctioneſque feciſtis exemplo veſtræ venerationis.* Eumenius occaſionem ſumit iis adulandi propter cognomina Jovii & Herculei. *Et ſane præter uſum*, inquit,*curámque Reipublicæ, etiam illa Jovis & Herculis cognata majeſtas in Jovio, Herculióque Principibus totius Mundi cæleſtium rerum ſimilitudinem requirebat.* Quaſi Diocletianus imitari voluiſſet ſuum Jovem, eligendo etiam in filium ſuum Herculem, adoptato Maximiano. Ideóque etiam habemus nobilem alium nummum Diocletiani, majoris formæ, in quo templum eſt Jovis Custodis.

CONSTANTI NVS MAX AVG

GLORIA SAECVLI VIRTVS CAES
P R

22.

CONSTANTINUS. MAX. AUG. *Constantinus Maximus Augustus.* Caput Constantini Maximi cum Diademate & laurea gemmis distincta.

GLORIA. SÆCULI. VIRTUS. CÆSS. *Gloria sæculi virtus Cæsarum.* Constantinus armis insidens, nudâ superioris corporis parte, juxta morem Heroum, sinistrâ hastæ innititur, dextrâ gerit globum mundi, supra quem est Phœnix. Coram ipso stat juvenis, trophæum humero innixum alterâ manu tenens, alterâ verò Constantinum juvans in globo & ave sustinendis. Hæc imago pulcherrima & magnificentissima est, & de-

notat gloriam fæculi hujus Imperatoris, & felicitatem temporis illius, quo imperium Romanum inftar Phœnicis renovatum ab eo eft, & priftino fplendore ex victoriis, quas de Barbaris & Tyrannorum factionibus, quibus Roma, Italia & Provinciæ infeftabantur, donatum. Hoc nummo continetur, primâ infcriptionis parte, GLORIA SÆCULI; quod exprimitur in alio Conftantini hifce vocibus, REPARATIO SÆCULI; unde *Porphyrius Optatianus*, in laudibus hujus Imperatoris, eum vocat Inftauratorem fæculi aurei:

Aurea perpetuò reftaurans Sæcula mundo.

Ad alteram partem infcriptionis quod attinet, VIRTUS

CÆSS.

CÆSS. quamvis debeat referri ad Criſpum & Conſtantinum juniorem, ambos Cæſares, & filios Conſtantini Maximi, attamen omnis laus debetur Criſpo, quem videmus redeuntem victorem Barbarorum, cum ſpoliis Francorum & Germanorum, firmatis paternis victoriis, in Galliis & aliis Provinciis remotioribus. Ejus enim adventus exprimitur in hac nummi noſtri parte averſa, ubi ad patrem accedit cum trophæo humeris innixo, eique ſuppetias fert, ſuppoſitâ manu, in ſuſtinendo orbis terrarum onere. Hîc etiam ad teſtandam lætitiam publicam, & gloriam felicis iſtius ſæculi, legitur VIRTUS CÆSS. Laudis etiam hujus facto participe Conſtantino Criſpi fra-

tre, quod factum videtur cum Quinquennalia Vota nuncuparentur, ut conjicere eſt ex *Nazario* Oratore, in *Panegyrico dicto Conſtantino Maximo*, in celebritate eorumdem votorum Criſpi & Conſtantini junioris. Ita Orationem orditur: *Dicturus Conſtantini auguſtiſſimas laudes, qui tantùm ultra omnium Sæculorum Principes eminet, quantùm à privatis cæteri Principes receſſerunt, & dicturus in cœtu gaudiorum exultantium, & lætitiæ geſtientis, quam æmulationem ſolita beatiſſimorum Cæſarum Quinquennia primò fecerunt.* Poſtea laudato utroque Cæſare, deſcendit ad Criſpi res geſtas, eúmque ſolum laudat, quòd victorias parentis perſecutus ſit in Galliis & Germania, eo tempore quo frater nondum

dum talibus expeditionibus maturus erat, ſed titulo duntaxat Cæſaris, & Conſulari dignitate conſpicuus. Unde manifeſtò apparet juvenem armatum, qui hîc cum trophæo pingitur, eſſe Criſpum, qui redit ex Germania, & rerum geſtarum rationem redditurus, victor ad Patrem accedit: titulum verò, qui eſt ipſi cum fratre communis, ita conceptum fuiſſe, ut Conſtantinus eo honore, ad imitandam virtutem ac fortitudinem Criſpi, excitaretur; ut colligere eſt ex ſequentibus verbis ejuſdem *Nazarii: Nobiliſſimorum quoque Cæſarum laudes exſequi velle, ſtudium quidem dulce, ſed non & cura mediocris eſt; quorum in annis pubeſcentibus, non eruptione virtutis tumens germen, non flos præcur-*

ſor

ſor indolis bonæ lætior, quàm uberior apparet, ſed jam facta grandiſera, & contra rationem ætatis, maximorum fructuum matura perceptio; quorum alter in atterendis hoſtibus gravis, terrorem paternum, quo ſemper Barbaria omnis intremuit, derivare ad nomen ſuum cœpit; alter jam Conſulatum, jam venerationem ſui ſentiens, ſi quid intactum aut parens, aut frater reſervet, declarat mox victorem futurum; & rurſus de eodem Conſtantino juniore: *Audivit*, inquit, *frater intentus, & puerilem animum ſpes læta, & blanda gaudia titillarunt, cumque miraretur fratrem, etiam ſibi favit, quod ex annis ejus quam proximus tantæ gloriæ eſſet, agnovit.* A Criſpo præſertim debellati fuerunt Franci & Alemanni, ferociſſimi Germaniæ populi, qui

qui Gallias & Hiſpanias invaſerant. Hos primùm Conſtantinus pater variis certaminibus fregit, ſed poſtea copiis auctos, & provincias Romanas iterum infeſtantes, devicit Criſpus: *Ii igitur*, ait Nazarius Conſtantinum alloquens, *ſub armis tuis conciderunt, & deleri funditus poſſent, niſi divino inſtinctu, quo regis omnia, quos ipſe affeceras, afficiendo filio reſervatos, quanquam ad gloriam veſtram fœcunda malis ſuis natio jam raptim adolevit, robuſtáque reſervata eſt, ut fortiſſimo Cæſari primitias ingentis victoriæ daret.*

Iterum laudat idem Orator virtutem Criſpi, cujus tenera juventus triumphum non diſtulit, cùm patri ſpoliis onuſtus adſtiterit, ſuperatâ tempeſtatis & ſeptentrionis aſperitate, ut

ut Romam ex Germania rediret; recitata enim fuit hæc Oratio Calendis Martiis anni à Christo nato CCCXXI. post reditum Crispi, anno Imperii Constantini Maximi XIV. Verba Oratoris aversam hanc nummi nostri frontem eximiè illustrant. *Declarant*, inquit, *esse rationem cupiditatemque votorum facta Crispi Cæsarum Maximi, in quo velox virtus ætatis morâ non retardata pueriles annos gloriis triumphalibus occupavit. Cujus ita jam uberes scatent laudes, ut plenæ possent videri, nisi cœpisse, & patrem cogitaremus. Qui quidem nunc nobilissimus Cæsar venerandi patris, fratrum, suorúmque omnium fruitur aspectu, séque fruendum omnibus præbet; crudâ adhuc hyeme, iter gelu intractabile, immensum spatio nivibus, infestum,*

feſtum, incredibili celeritate confecit, ut intelligamus, alacritatibus nihil aſperum, qui ipſam, quam à ſuis petebat, tam laborioſam inſtituerat voluntatem. Quæ tuum, Conſtantine Maxime, mite pectus inundavit gratulatio, cui tanto intervallo videre filium licuit. Itaque nihil aliud hoc numiſmate contineri credimus, præter monumentum reditûs Criſpi victoris ex Germania; atque illud cuſum fuiſſe ex occaſione Votorum Quinquennalium, quæ jam ceperant celebrari, vel brevi celebranda erant; uti ex allatis Nazarii verbis, & poſtremis hiſce, quibus diſertiſſimam orationem claudit, colligimus: *Quinquenniis*, inquit, *feliciter inchoatis, Decennia Cæſarum nobiliſſimorum, ultra poſteros noſtros extendendo,* *quàm*

quàm impensè rogare, & orare nos convenit ipsis bonis temporum, & Reipublicæ utilitatibus admonemur. Horum votorum Quinquennalium monumentum esse puto Pantheram, vel Tigridem, vel Pardum, qui ad pedes Crispi conspicitur: solebant enim Decennalia, & alia Vota, celebrari, exhibitis Circi & Amphitheatri spectaculis, in quibus omnis generis feræ, & præsertim Tigrides ac Pardi producebantur, ut videmus in nummis Philippi, & uti refert Capitolinus in vita Gordiani. Hæc nummi nostri aversa facies est optimè conservata, & similitudinem Constantini imberbis & laureati, Heroico more seminudi & armis insidentis, hastæque instar numinis innitentis, exprimit. Ad

Ad duas literas quod attinet infra ſcriptas P. R. veriſimiliter exponi queant, *percuſſa Romæ*, ſubintellecta voce MONETA. Ita in nummo Maximiani legimus etiam in inferiori parte, & quidem expreſſius, P. ROM. *percuſſa Romæ*, & in aliis P. TR. *Percuſſa Treveris.*

ΗΡΩΟC ΑΝΤΙΝΟΟC
ΝΕΙΚΟ ΜΗΔΕΙΑ ΤΡΟΠΟΛΙC
ΗΜΗ

23.

ANTINOOC. HPΩOC. *Antinous Herous.* Caput Antinoi humero nudo. Hoc numiſma duobus circulis circumdatur, quorum prior ex æro cyprio, alter verò ex Corinthiaco confectus, hic ſua magnitudine deſcribuntur. In inſcriptione hoc rarum occurrit, quòd pro voce HPΩC, quæ titulus eſt uſitatus Antinoi, legamus HPΩOC *Herous*, vel, *Heroicus.*

NEICOMHΔEIA. H. MHTPOΠOΛIC. *Nicomedia Metropolis.* Bos Apis.

Cùm Antinous primùm in Ægypto conſecratus fuiſſet, ejus cultus in alias Civitates Græciæ & Aſiæ, quæ ut adularentur Hadriano

driano, cœleſtes honores ipſi detulerunt, tranſiit. Sed Nicomedienſes maiori honore, præ cæteris, eum affecerunt, quia eorum civitas erat Metropolis Bithyniæ, quæ patria fuit Antinoi. Non modo ſub imagine Apis & Solis, ſed etiam ſub imagine Harpocratis eum coluerunt, ipſique pulcherrimum templum, ut apparet ex aliis eorum nummis, dedicarunt. Si quæratur ratio, ob quam Hadrianus Antinoum inter Heroas retulit, certiſſima omnium eſt quæ à Dione probatur, quia ſcilicet iſte juvenis ſponte pro ſalute Imperatoris ſacra fecerat. Finxerunt illum reſponſa ſeu oracula, inſtar bovis Apis, vel Nævii edere. Sed obſervandum eſt, omnia majora & minora nu-

numiſmata Antinoi Græca eſſe, nulla verò Romana, quia cultus iſte Romam uſque non tranſiit, nec à Senatu ullo decreto approbatus eſt. Ideò hoc numiſma ultimo loco, extra ſeriem Imperatorum, collocavimus.

INDEX NUMISMATUM

MAXIMI MODULI,

quæ reperiuntur in Bibliotheca
Eminentissimi & Reverendissimi
CARDINALIS
CASPARI CARPEGNÆ.

In qua & aliæ series Nummorum primæ & secundæ magnitudinis, ex auro & argento, aliaque antiquitatis monumenta, asservantur.

Numerus designat Nummos hoc libro editos.

1. ANTONINUS. AUG. PIUS. P. P. TR. P. COS. III. *Antoninus Augustus Pius Pater Patriæ, Tribunitiâ Potestate Consul tertiùm.* Caput Antonini laureatum, parte pectoris paludata. *Fau-*

Faustina in numerum Dearum relata, equo insidens cum face in habitu Dianæ Luciferæ, sine inscriptione. Numisma olim argento obductum, ut apparet ex capite.

2. ANTONINUS. AUG. PIUS. P. P. TR. P. COS. IV. *Antoninus Augustus, Pius, Pater Patriæ, Tribunitiâ Potestate, Consul Quartùm:* Caput Antonini laureatum.

Diana stolata stans, alterâ manu hastæ innitens, alterâ Capream gerens, sine inscriptione. Numisma circulo circumdatum.

3. ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ Μ. ΑΝΤΩΝΕΙΝΟC. *Imperator Marcus Antoninus.* Caput M. Aurelii laureatum.

ΜΑΓΝΗΤΩΝ. *Magnetum.* Dia-

na Ephesia in medio duorum fluminum jacentium, Mæandri & Lethei, cum duabus Victoriis quæ Dianæ coronam turrium imponunt.

IMP. ANTONINUS. AUG. COS. III. IMP. VERUS, AUG. COS. II. *Imperator Antoninus Augustus Consul Tertium. Imperator Verus Augustus Consul secundùm.* Duo capita M. Aurelii & L. Veri sese invicem respicientia.

VICTORIÆ AUGUSTORUM. Victoria lauream manu gerens.

4. L. AURELIUS. VERUS. AUG. ARMENIACUS. IMP. II. TR. P. V. COS. II. *Lucius Aurelius Verus Augustus Armeniacus Imperator Secundùm, Tribunitia Potestate Quinta,*

ta, Conſul Secundum. Caput L. Veri laureatum, parte pectoris armatâ.

Hercules juvenis qui capiti ſuo lauream imponit. Hinc Laurus cui appenſa eſt pharetra: inde ara ramis laureis ornata. Numiſma circulo ornatum.

5. IMP. CÆS. L. AUREL. COMMODUS. GERM. SARM. *Imperator Cæſar Lucius Aurelius Commodus, Germanicus, Sarmaticus.* Caput Commodi juvenis, cum Gauſape ſeu paludamento Barbaro.

TR.POT. COS. *Tribunitiâ Poteſtate Conſul.* Triumphus de Germanis. M. Aurelius & Commodus in quadrigis, præcedente Româ cum ſigno militari, deſuper verò volante Victoriâ cum trophæo.

M. AUR. COMMODUS. ANTONINUS. AUG. PIUS. *Marcus Aurelius Commodus Antoninus Augustus Pius.* Caput Commodi laureatum, humeris armatis.

P.M. TR.P. VIII. IMP.VI. COS. III. P.P. *Pontifex Maximus Tribunitia Poteſtate Octavâ, Imperator ſextùm, Conſul Tertium, Pater Patriæ.* Roma ſedens porrigit Globum Mundi, ſeu Orbem Terrarum Imperatori.

M. COMMODUS. ANTONINUS. PIUS. FELIX. AUG. BRIT. Caput Commodi laureatum.

FELICITAS. SÆCULI. P. M. TR. P. XIIII. IMP.VIII. COS. V. P. P. *Pontifex Maximus, Tribunitiâ Poteſtate Decima-*

maquarta, Imperator Octavùm, Consul Quintùm, Pater Patriæ. Dea Felicitas, cum caduceo & cornucopiæ, pedibus calcat roſtrum navis, propter Victoriam Britannicam.

6. ΑΥΤ. ΚΑΙ. Μ. ΑΥΡΗ. ΚΟΜΟΔΟC. *Imperator Cæsar Marcus Aurelius Commodus.* Caput Commodi laureatum.

ΕΠΙ. CΤΡ. Π. ΛΙΠΙΟΥ. ΚΟΙΝΟΝ. ΟΜΟ. ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ. ΚΑΙ. ΕΦΕCΙΩΝ. Ἐπὶ ϛρατήγȣ Πȣβλίȣ Λιπίȣ Κοινονία. Ὁμονοία Περγαμήνων καὶ Ἐφεσίων. *ſub Stratego ſeu Prætore P. Lipio Communitas, Concordia Pergamenorum & Epheſiorum.* Duo viri ſtantes, quorum unus manibus gerit Dianam Epheſiam, alter Æſculapium.

7. ΑΥΤ. ΚΑΙCΑΡ. CΕΠΤ.

CEΟΥΗΡΟC. ΑΥΓ. *Imperator Cæsar Septimius Severus Augustus.* Caput Septimii Severi laureatum, parte pectoris armata. ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΙΑ ΠΕΡΙΝΘΙΩΝ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. *Philadelphia Perinthiorum Neocororum.* Duo templa in honorem Antonini Caracallæ & fratris ipsius Getæ.

8. ΑΥΤ. Κ. Μ. ΑΥΡ. CΕΟΥΗ. ΑΝΤΩΝΕΙΝΟC. *Imperator Cæsar Marcus Aurelius Severus Antoninus.* Caput Caracallæ laureatum, pectore armato, cum Gausape seu Paludamento Barbaro humero injecto.

ΠΕΡΙΝΘΙΩΝ.Β ΝΕΩΚΟΡΩΝ. *Perinthiorum Bis Neocororum.* Triumphus Parthicus, in quo apparet Imperator laureatus in Quadrigis, cum Vi-

ctoria

ctoria à tergo, præcedente ferculo onusto trophæo inter duos captivos. Hoc Numisma erat auratum.

9. ΑΥΤΟΚΡΑΤ. Κ. ΜΑΡΚΟϹ. ΑΥΡ. ΑΝΤΩΝΕΙΝΟϹ. *Imperator Cæsar Marcus Aurelius Antoninus.* Caput Caracallæ laureatum cum Medusa in pectore armato.

ΛΑΟΔ. ΠΡΩΤΩΝ. Γ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. *Laodicensium Primorum Ter Neocororum.* Imperator equo insidens coram signo Palladis, vultu & dextrâ retrorsum versus Parthos flexis, quem Miles sequitur.

10 ΑΥΤ. Κ. Μ. ΑΥΡ. ΑΝΤΩΝΕΙΝΟϹ. *Imperator Cæsar Marcus Aurelius Antoninus.* Caput Caracallæ laureatum, cum Medusa in thorace, & hasta humero innixa.

TAPΣEΩN. ANTΩNEINIA-NΩN. NEΩKOPΩN. *Tarſenſium Antoninianorum Neocororum.* Imperator ſtat inter duo ſigna militaria, alterâ manu innititur haſtæ, alterâ coronam propter Victoriam Parthicam gerit.

11. AYT. K. M. OΠ. CEOY. MAKPEINOC. *Imperator Cæſar Marcus Opelius Severus Macrinus.*

ΔIAΔOYMENIANOC. *Diadumenianus.* Duo capita, Macrini laureatum, Diadumeniani juvenis ſine laurea.

MHTPOΠOΛ. KAICAPIAC. NEΩKOPOY. ET. B. *Metropoleos Cæſareæ Neocoræ Anno ſecundo.* Mons Argæus Cæſareæ Cappadociæ, ſub quo cernitur Templum Macrino

&

& Diadumeniano Impp. dicatum.

12. IMP. GORDIANUS. PIUS. FELIX. AUG. Caput ejuſdem Gordiani laureatum cum thorace, cui inſculpta eſt victoria de Perſis reportata. Haſta humero innititur.

ÆQUITAS. AUGUSTI. Tres Monetæ. Numiſma argenteum.

13. ΑΥΤ. Κ. Μ. ΑΝΤ. ΓΟΡΔΙΑΝΟϹ. ΑΥΓ. *Imperator Cæſar Marcus Antonius Gordianus Auguſtus.* Caput Gordiani Pii pectore armato.

ΠΕΡΙΝΘΙΩΝ. ΙΩΝΩΝ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. *Perinthiorum Jonum Neocororum.* Deus Serapis, Coronam manibus gerens, & Dea Concordia cum patera ante aram.

14. CONCORDIA AUGUSTORUM. Duo capita, unum Philippi patris, alterum Philippi filii.

ADVENTUS AUGUSTORUM. Ambo Philippi, & Lucius Priſcus Philippi ſenioris frater, equitantes dextrâ protenſâ, redeuntes Romam ex bello Perſico. Præcedit Victoria & ſequuntur quinque milites, cum tribus ſignis Cohortium. Numiſma argenteum.

15. CONCORDIA AUGUSTORUM. Tria capita, quorum duo priora ſunt Philippi & Otacillæ conjuncta, tertium Philippi filii laureatum æque ac Patris caput.

P.M. TR. P. III. COS. *Pontifex Maximus Tribunitia Poteſta-*

ſtate tertiâ Conſul. Congiarium in celebritate novi ſæculi, & Milleſimi anni ab V.C. populo exhibitum.

16. ΑΥΤ. Κ. Μ. ΙΟΥΛ. ΦΙΛΙΠΠΟϹ. ΑΥΓ. *Imperator Cæſar Marcus Julius Philippus Auguſtus.* Caput Philippi juvenis laureatum.

ΕΠΙ.Μ.ΑΥΡ.ΑΛΕΖΑΝΔΡΟΥ. Β. ΒΕΛ. ΑΡΧΙ. ΑΠΑΜΕΩΝ. Ἐπὶ Μάρκου Αὐρελίου Ἀλεξάνδρου, δεύτερον βελτίστου Ἀρχιερέως Ἀπαμέων. *Sub Marco Aurelio Alexandro iterum præſtantiſſimo Pontifice Apamenſium.* Leo ante thyrſum, imminente deſuper Ciſtâ ſacrâ Bacchi.

17. MARCIA. OTACIL. SEVERA. AUG. Caput Otacillæ diademate vinctum. TEMPORUM. FELICI-

 TAS.

TAS. Otacilla ſolio inſidens inter duas ſtatuas, Pacis & Salutis. Liberi ſtantes ad eam manus porrigunt.

IMP. C. M. Q. TRAJANUS. DECIUS. AUG. *Imperator Cæſar Mecius Quintus Trajanus Decius Auguſtus.* Caput Trajani Decii cum Corona radiata.

VICTORIA. AUG. S. C. Victoria cum Laurea & Palma.

IMP. C. M. Q. TRAJANUS. DECIUS. AUG. Caput ejuſdem cum Corona radiata.

FELICITAS. SÆCULI. Dea Felicitas cum Cornucopiæ & Caduceo.

18. IMP. GALLUS AUG. IMP. VOLUSIANUS AUG. Capita Galli & Voluſiani ſeſe in-

invicem reſpicientia.

ADVENTUS. AUGG. *Adventus Auguſtorum.* Ambo Impp. armati cum haſtis, equitantes.

IMP. CÆS. C. VIBIUS. TREBONIANUS GALLUS. AUG. Caput Treboniani Galli.

MONETA AUGG. Tres Monetæ. Numiſma argenteum.

IMP. VALERIANUS AUG. Caput Valeriani Patris laureatum.

MONETA AUGG. Valeriani nempe, & Gallieni filii. Numiſma mediæ formæ, argento obductum.

IMP. GALLIENUS. PIUS. FELIX. AUG. Caput Gallieni laureatum, pectore paludato.

MO-

MONETA. AUG. Tres Monetæ.

Aliud ſimile Numiſma argenteum.

IMP. GALLIENUS. P. F. AUG. *Imperator Gallienus Pius Felix Auguſtus.* Caput Gallieni laureatum, pectore armato, alterâ manu ſcutum, cui caput Meduſæ inſculptum eſt, alterâ haſtam humero innixam ſuſtinens.

MONETA AUGG. Gallieni & Valeriani Patris, vel Fratris. Numiſma ex Orichalco argento obducto.

GALLIENUS. AUG. Caput Gallieni galeatum cum ſcuto & haſta.

FIDES MILITUM. Fides manibus duo ſigna militaria gerens. Nummus aureus mediæ magnitudinis.

19. LIC. COR. SAL. VALERIANUS N. CÆS. *Licinius Cornelius Saloninus Valerianus nobilis Cæſar.* Caput Salonini Valeriani filii Gallieni.

PRINCIPI. JUVENTUTIS. Stat Imperator armatus, haſtæ innitens, alterâ manu globum gerens. Ad pedes ejus ſedet Barbara captiva.

IMP. C. M. CASS. LAT. POSTUMUS. P. F. AUG. *Imperator Cæſar Marcus Caſſius Latinus Poſthumus, Pius, Felix, Auguſtus.* Caput Poſthumi Tyranni laureatum.

VICTORIA. AUG. *Victoria Auguſti.* Victoria ad cujus pedes eſt captivus.

C. JUL. P. CASSIUS. LAT. POSTUMUS. P. F. AUG. *Cajus Julius Publius Caſſius Latienus*

tienus Postumus Pius Felix Augustus. Caput Postumi filii radiatum.

LÆTITIA. AUG. *Lætitia Augusti.* Triremis.

20. IMP. PROBUS. P. F. AUG. *Imperator Probus Pius Felix Augustus.* Caput Probi laureatum cum hasta & scuto, cui insculptus est Imperator equitans, præcedente Victoriâ, & sequente Milite.

MONETA. AUG. Tres Monetæ.

Aliud simile numisma Probi obductum argento.

IMP. C. M. AUR. CARUS. P. F. AUG. *Imperator Cæsar Marcus Aurelius Carus Pius Felix Augustus.* Effigies Cari laureati pectore armato.

MONETA. AUGG. *Augustorum*

rum Cari, & Carini filii. Numifma argenteum.

IMP. C. NUMERIANUS. P. F. AUG. *Imperator Cæfar Numerianus Pius Felix Auguftus.* Caput Numeriani laureatum, pectore armato, & hafta humero impofita.

MONETA AUG. Numifma argento obductum.

DIOCLETIANUS. AUG. *Diocletianus Auguftus.* Caput Diocletiani cum vefte feu pallio palmato.

JOVI.CONSERVATORI. AUG. *Jovi Confervatori Augufti.* Templum in cujus media parte eft ftatua Jovis cum hafta & fulmine, ad cujus pedes eft Aquila.

IMP. C. M. VAL. DIOCLETIANUS P. F. AUG. *Impera-*

rator Cæſar Marcus Valerius Diocletianus, Pius, Felix, Auguſtus. Caput Diocletiani laureatum.

MONETA AUG. Tres Monetæ.

21. IMP.C.M.AUR.VAL. MAXIMIANUS. AUG. *Imperator Cæſar Marcus Aurelius Valerius Maximianus, Auguſtus.* Caput Maximiani laureatum, pectore paludato.

JOVI ET.HERCULI. MONETA.AUGG. *Jovi & Herculi, Moneta Auguſtorum.* Dea Moneta inter Jovem & Herculem.

VIRTUS. MAXIMIANI. AUG. *Virtus Maximiani Auguſti.* Effigies Maximiani laureata, quæ alterâ manu equum frænat, altera ſuſtinet ſcutum, cui inſculpta eſt Lupa

pa cum Gemellis ad Ficum Ruminalem. Thoraci ineſt caput Meduſæ.

MONETA. AUGG. Tres Monetæ.

GAL. VAL. MAXIMIANUS. NOB. C. *Galerius Valerius Maximianus Nobilis Cæſar.* Caput Maximiani, cognomine Armentarii.

MONETA.AUG.*Auguſti*,ſcilicet Diocletiani qui hunc Maximianum Cæſarem creavit.

22.CONSTANTINUS.MAX. AUG. *Conſtantinus Maximus Auguſtus.* Caput Conſtantini Maximi cum diademate gemmis diſtincto.

GLORIA. SÆCULI. VIRTUS. CÆSS. & infra. P. R. *Gloria Sæculi, Virtus Cæſarum.* Criſpi nimirum & Conſtanti-

ni

ni junioris. Conſtantinus inſidens thoraci, ſuperiore corporis parte nudâ, innitens ſiniſtrâ haſtæ, inſtar Jovis. Criſpus cum trophæo de Gallis & Germanis ſtans coram ipſo, globum & Phœnicem ipſi porrigit. Eſt præterea ad ejus pedes Tigris.

VICT. CONSTANTINUS. AUG. *Victor Conſtantinus Auguſtus.* Caput Conſtantini laureatum, pectore armato.

DEBELLATORI GENTIUM BARBARARUM. Imperator equitans & duos Barbaros terræ afflictos haſta feriens. Hoc Numiſma jam olim tribus in locis perforatum fuit, fortaſſis à milite, qui illud armis ſuis commiſit, vel alio quopiam modo.

MAG. DECENTIUS. NOB. CÆS. *Magnentius Decentius Nobilis Cæſar.* Caput Decentii pectore paludato, alterâ manu ſceptrum, alterâ globum cui impoſita eſt victoria gerit.

VIRTUS. AUGG. Imperator equitans hoſtem terræ haſtâ affligit.

D. N. JOVIANUS. P. F. AUG. *Dominus noſter Jovianus Pius, Felix, Auguſtus.* Caput Joviani cum Diademate gemmato.

URBS. ROMA. Roma ſedens cum haſta & globo præ manibus. Numiſma mediæ magnitudinis.

23. ANTINOOC HPΩOC. *Antinous Herous.* Caput Antinoi humeris nudis.

NEI-

ΝΕΙϹΟΜΗΔΕΙΑ Η. ΜΗΤΡΟ-
ΠΟΛΙϹ. *Nicomedia Metropolis.* Bos Apis.

F I N I S.

SELECTI NUMMI DUO ANTONINIANI,

Quorum primus

ANNI NOVI AUSPICIA,

alter

COMMODUM & ANNIUM VERUM CÆSARES exhibet.

Ex Bibliotheca Emin. Principis

CAMILLI CARDINALIS MAXIMI,

editi a

JO. PETRO BELLORIO.

AMSTELÆDAMI,

Apud HENRICUM WETSTENIUM.

cIↃ IↃc LXXXV.

pag. 3

IMP. T. AEL. CAES. HADR. ANTONINVS AVG. PIVS.


S.P.Q.R.
A.N.F.F
OPTIMO
PRINCIPI
PIO

ANTONINI PII AUGUSTI

NUMMUS

de anni novi auſpiciis explicatus.

Nobiliſſimo Eruditiſſimoque Viro
CLAUDIO NICASIO,
S. Capellæ Divionenſis Canonico,
Jo. Petrus Bellorius, S.P.D.

Frequenter efflagitas à me, Præſtantiſſime ac Humaniſſime Nicasi, & ex conſuetudine humanitatis tuæ requiris, ut Te certiorem faciam de no-

ſtris in antiquitatem ſtudiis, Tibique ex veteri, fas ſit dicere, Africa noſtra novi aliquid adferam. Ego verò, qui Te ſumma obſervantia proſequor, Tibique plurimis vinculis obſtrictus ex animo parere cupio, non Lybicum aliquod monſtrum profero, ſed ex vetuſtatis latebris, novum, atque elegans eruditionis decus promam, ac foras educam. In perquirendis enim Urbis ruderibus, nunquam elangueſcit antiquitatis genius: mirum eſt quàm præclara monumenta, ſigna, toreumata, æra, marmora, ac, ut ita loquar, omnis eruditionis ſegetem feraces ipſæ edant ruinæ. Et ſanè vetera numiſmata, quibus validiori, præ cæteris omnibus, argumento, ad no-
mi-

minis famam in ævum excitandam, Romani præcipuè usi sunt, quotidie eruuntur; ita ut antiquitatis thesauri è sepulchris, Diti ac Manibus erepti, Apolline ac Musis auspicibus perennent. Interim Græcis nummis omissis, qui mirificè ad illustrandam historiam conferunt, Latini sanè, cum jam plenis loculis Imperatorum Romanorum series penè absoluta sit, si qui nunquam antea visi, recens eruantur, iidem omnium pretiosissimi habendi sunt. Pretium verò, atque æstimatio ad summum augetur, si raritatem exuperat eruditio, ac veteres mores nos edoceant, seriemque ipsam Augustorum compleant. Unde mirum in modum æstimandus est æreus primæ magni-

tudinis nummus, in honorem Antonini Pii percuſſus, & ad hanc diem nondum ſpectatus, præterquam in deſcriptis ab Occone, idemque in theſauro Bibliothecæ Eminentiſſ. Principis *Camilli Cardinalis Maximi*, novum decus, nova luce coruſcat. Exhibet ab uno latere ipſius Antonini caput cum titulo IMP. T. ÆL. CÆS. HADR. ANTONINUS AUG. PIUS. *Imperator Titus Ælius Cæſar Hadrianus Antoninus Auguſtus Pius.* Ab alio latere lauream Antonino dicatam refert, in qua S. P. Q. R. A. N. F. F. OPTIMO PRINCIPI PIO.

Quam inſcriptionem, cum ſuis litterarum notis, ſic interpretamur *Senatus Populuſque Romanus Annum novum fauſtum felicem*

cem Optimo Principi Pio. In aliis eadem corona appicta eſt, intra quam legitur tantùm S. P. Q. R. OPTIMO PRICIPI S. C. Interpretationis verò ſenſum dupliciter elicimus. Et primò: Annus novus fuit antiquitus principium Conſulatus initi Kalendis Januarii, qua die Conſules deſignati Conſulatus munus incipiebant, & ab ipſis novus annus aperiri dicebatur. Ad quem ſolemnem ritum reſpexit *Claudianus* in Panegyrico de III. Conſulatu Honorij,

Tuque ô qui patrium curis æqualibus orbem
Evo cum fratre geris, procede ſecundis
Alitibus, Phœbique novos ordire meatus.

Et expreſsè in VI. ejuſdem

Consulatu de Jano loquens,

Jamque novum fastis aperit felicibus annum
Ore coronatus gemino.

Romani porrò, boni ominis gratia, suis Principibus, vel Consulatum gerentibus, annum novum incipientem, lætis precationibus auspicabantur, ac solemnia vota pro ipsorum incolumitate ac felicitate solvebant. Quod, & Senatus, & Populus, & Pontifices, & Sacerdotes, omnesque Ordines faciebant. *Prudentius*:

Jano etiam celebri de mense litatur
Auspiciis, epulisq; sacris, quas inveterato,
Heu miseri! sub honore agitant, & gaudia ducunt,
festa Calendarum.

De

De votis pro Principe *Dion*: *Poſt Calendas Januarii die tertio Principis vota ſuſcepta.* Item. *Cajus* J. C. *Pridie nonas Januarias votum pro ſalute Principis.* Id tertio nonas à Senatoribus factum colligitur ex *Capitolino* in Pertinace: *Denique tertium Nonarum diem, votis ipſis, milites Triarium Maternum Laſcivium Senatorem nobilem ducere in caſtra voluerunt, ut eum rebus Romanis imponerent.* His addimus quæ *Tertullianus* in libro de Corona militis deſcribit, de annuis votis nuncupatis 3 Nonas Januarii, pro incolumitate Imperatorum, à militibus in caſtris, & à Senatu in Capitolio: *Ecce annua votorum nuncupatio, quid videtur? prima in principiis, ſecunda in Capitoliis. Accipe poſt loca, & verba. Hunc tibi Jupiter bo-*

vem cornibus auro decoratis vovemus. Kalendis ipſis Januarii anno novo, Populus Romanus ſtipem quoque Principi offerebat; quem morem illuſtrant duæ inſcriptiones Gruterianæ, Vulcano, & Laribus publicis ædem ſeu aram Auguſto dedicante.

IMP. CAESAR. DIVI. F. AVGVSTVS.
PONTIFEX. MAXIMVS.
IMP. XIII. COS. XI. TRIB. POTEST. XV.
EX.STIPE. QVAM. POPVLVS.ROMANVS.
ANNO. NOVO. APSENTI. CONTVLIT.
NERONE. CLAVDIO. DRVSO.
T. QVINTIO. CRISPINO. COSS.
VOLCANO.

LARIBVS. PVBLICIS. SACRVM.
IMP. CAESAR. DIVI. F. AVGVSTVS.
PONTIFEX. MAXIMVS.
TRIBVNIC. POTEST XVIIII.
EX. STIPE. QVAM. POPVLVS. EI.

CON-

CONTVLIT. K. IANVAR. APSENTI.
C. CALVISIO. SABINO.
L. PASSIENO. RVFO. COSS.

Ad quam inscriptionem notat *Gruterus* Suetonii locum, in vita ipsius Augusti, cap. LVII. *Omnes Ordines in lacum Curtii, quotannis, ex voto pro salute ejus stipem jaciebant.* Gruterus, *hoc est, nummum signatum Kalendis Januarii anni novi initio.* Idem *Suetonius* in Caligula: *edixit & strenas ineunte anno, se recepturum, stetitque in vestibulo ædium Kal. Januarii ad captandas stipes, quas plenis ante eum manibus, ac sinu omnis generis turba fundebat.* Strenarum verò oblationem sub Augusto, & Cajo usurpatam, Claudius edicto sustulit, ut scribit *Dion.* Hinc satis liquet Senatum, Po-

pulumque Romanum, anni novi initio, ſuis Principibus lætis fauſtiſque precationibus, pro eorum ſalute, ac felicitate, vota nuncupaſſe; quod expreſſum videtur in hoc Antonini nummo: *Senatus Populuſque Romanus annum novum fauſtum felicem Optimo Principi Pio.* Ad cujus exemplar & privati cives ſibi invicem fauſtum felicemque novum annum ominabantur, ac viciſſim munera & ſtrenas mittebant. *Plinius* lib. 28. cap. 11. Deos preces exaudire, ac verbis moveri ſic arguit: *Licet hanc in partem ſingulorum quoque conſcientiam coarguere. Cur enim primum anni incipientis diem lætis precationibus invicem fauſtum ominamur.* Qui mos à priſcis ſæculis deductus, permanet adhuc non

tan-

tantum Romæ, sed & in universa Italia, & apud exteras gentes, Christi Domini sacris Natalitiis, & iisdem proximis Januarii Kalendis solemniter insignitus.

Quamvis autem hæc prima expositio, numismatis notas declarare luculenter videatur; altera tamen novi anni ratio congruentior occurrit, in aliud tempus referens vota suscepta à Senatu Populoque Romano, pro incolumitate Principum, proque eorum felicitate, Imperiique auspicanda æternitate; quam rationem suggerit *Seneca* in Apolocynthesi, seu satyra Claudiana, in hæc verba, ipsius Satyræ initio. *Quid actum sit in cælo ante diem tertium eidus Octobris, Asinio Marcello, Acilio Aviola Coss.*

anno novo, initio ſeculi feliciſſimi; Ubi *Gruterus*: *Novus annus dicebatur primus annus Imperii alicujus Imperatoris, ut ad hunc locum notat Turnebus* lib. 23. cap. 8. *Adverſ.* Unde novus annus à Seneca auſpicatus mortuo Claudio, primus fuit Imperii Neronis, quem ipſe Seneca nominat initium ſæculi feliciſſimi. Proſequitur inde novos aureoſq; Neronis annos, ex ore Apollinis, poetico ſtylo, atque elegantia canere,

At Lacheſis redimita comas, ornata capillos,
Pieria crinem lauro, frontemque coronans,
Candida de niveo ſubtegmina vellere ſumit
Felici moderanda manu, quæ ducta colorem

Aſſump-

Assumpsere novum: mirantur pensa sorores,
Mutatur vilis pretioso lana metallo.
Aurea formoso descendunt secula filo.

Hæc Apollo, at Lachesis, quæ & ipsa homini fortissimo faverat, fecit, & plena orditur manu, & Neroni multos annos de suo dat. Sic annum novum faustum felicemque, cujus extat memoria in nostro nummo, referimus ad annum Imperii ab Antonino Pio suscepti, mortuo Hadriano, qui fuit anno Urbis DCCCXC. Christi CXXXIX. Quo anno Antoninus ab Hadriano, teste *Capitolino*, adoptatus v. Kalendas Martias die, factusque est patri in imperio proconsulari, & in tribunitia potestate collega.

ga. Et eodem anno, cum Hadrianus deceſſiſſet ad VI Idus Julii, ſolus imperium ſumpſit. Hæc vota fiebant primò in acclamationibus Senatus, in Curia, & in Capitolio J. O. M. ipſa die, & hora imperii ſuſcepti; quarum acclamationum ſolemnes formulas habemus apud *Capitolinum*, *Lampridium*, & *Vopiſcum* in Alexandro Severo, Gordiano, Balbino, Pupieno, Tacito, Probo: *Maxime & Balbine, Auguſti Dii vos ſervent, Dii vos Principes fecerunt, Dii vos conſervent: felices vos judicio Senatus, felicem Rempublicam veſtro imperio. Feliciſſime Tacite Auguſte, Dii te ſervent. Probe Auguſte, Dii te ſervent; Aſſeſſor Reipublicæ feliciter imperes.* De Trajano in Panegyrico *Plinius*: *Nihil magis poſſum pro-*

priè

priè dicere, quam quod dictum eſt à cuncto Senatu : ô te felicem ; quod cum diceremus, non opes tuas, ſed animum mirabamur. Eſt enim demum vera felicitas felicitate dignum videri. De Auguſto, & Trajano *Eutropius: Hujus tantum memoriæ delatum eſt, ut ad noſtram uſque ætatem, non aliter in Senatu Principibus acclamaretur, niſi: felicior Auguſto, melior Trajano.* Repetebantur verò hæ ſolemnes acclamationes quolibet anno ſuſcepti imperii, non Romæ tantum, verum etiam in provinciis & Coloniis, quæ Principum natalem diem, diemque ſuſcepti imperii, ſolemnibus ſacris, & fauſtis precationibus celebrabant, ut de Auguſto inſigne extat marmor Narbonenſe, quod noſtræ inſcriptionis formulam adamuſſim explicat. QVOD

QVOD BONVM FAVSTVM FELIXQVE SIT IMPE. CAESARI DIVI F. AVGVSTO

Et postea ITEM PRAESTENT K. QVOQVE IANVAR. THVS ET VINVM COLONIS ET INCOLIS PRAESTENT VII. QVOQ; IDVS IANVAR. QVA DIE PRIMVM IMPERIVM ORBIS TERRARVM AVSPICATVS EST THVRE VINO SVPPLICENT ET HOSTIAS SINGVL. INMOLENT. ET. COLONIS INCOLISQVE THVS VINVM EA DIE PRAESTENT.

Quod verò *Censorinus* scribit ante diem XVI. Kal. Januariis Cæsarem Octavium Augustum appellatum esse, & imperii regimen sumpsisse, atque *Ovidius* lib. 5. fastorum in idus Januarii refert, ex hoc Narbonensi monumento, die septima Januarii factum planè liquet. Nec Imperii tantum, sed etiam adoptionis Natalem diem celebrabant, ut *Spartianus* scribit de Hadriano, qui accepto suæ adop-

optionis, & mox exceſſus Trajani nuncio, diem adoptionis & Imperii celebrandum inſtituit: *V*, inquit, *Iduum Auguſti die, legatus Siriæ litteras adoptionis accepit, quando & natalem adoptionis celebrari juſſit iij Iduum earumdem, quando et Natalem Imperii inſtituit celebrandum, exceſſus ei Trajani nuntiatus eſt.* Ad hanc veterem formulam *fauſtum felix*, qua Romanos uſos fuiſſe probavimus, in ſuſcipiendis votis pro ſalute Principum, præter Narbonenſe marmor, facit veteris Kalendarii inſigne fragmentum, nuper Amiterni, quod nunc Caſtrum Sancti Victorini appellatur, effoſſum; quod P. Purporinus Baroncinus Cæleſtinus ſingulari doctrina, atque eruditione excultus, mihi perhumaniter

ter exhibuit, à se ab exemplari descriptum, & Commentario illustratum, in quo VII C. Octobris.

GENIO PVBLICO FAVSTAE FELICITATI MINER. VICTR. IN CAPITOL. APOL.

Hæc inter vetera Augusta monumenta, recens Urbis Regius honos, Christinæ Suecorum, Gothorum, Vandalorum Reginæ introitus Urbis, silentio omittendus non est. Quam venientem ad sacra Apostolorum limina veneranda, Alexander VII. Regia pompa excepit, Flaminiæ principi Urbis portæ inscripto titulo

FELICI FAVSTOQVE INGRESSVI

ANNO DOM. MDCLV.

Cæ-

Cæterum *Plinius* in Bithynia proconſulatum agens epiſt. 12. lib. 10. ad Trajanum, ſic noſtræ opitulatur ſententiæ: *Diem in quem tutela generis humani feliciſſima ſucceſſione tranſlata eſt, debita religione celebravimus, commendantes Diis imperii tui auctoribus, & vota publica, & gaudia.* & Epiſt. 101. *Vota Domine priorum annorum nuncupata, alacres lætique perſolvimus, novaq; rurſus, curante commilitonum & provincialium pietate, ſuſcepimus, precati Deos, ut Te remque publicam, florentem & incolumen ea benignitate ſervarent, quam ſuper magnas plurimaſque virtutes, præcipua ſanctitate conſequi, Deorum honore meruiſti.* Sequioribus etiam ſæculis, apud Chriſtianos Principes, hæc conſuetudo permanſit, & Græcis Imperatoribus fre-

frequens, ut eleganter deſcribit *Corippus* eaſdem Senatus & Populi acclamationes, in quibus felices annos & felix imperium iiſdem auſpicabantur, l. 1. de laudibus Juſtini Junioris, eidem & Sophiæ Auguſtæ,

Excubiæ primùm, quæ ſumma palatia ſervant
Imperium felix Dominis intrantibus optant.

Et lib. 2. acclamationes Senatus & Populi proſequens,

Felices annos Dominis intrantibus orant.

Phocas, cum ex præfecto limitis Scythiæ, Imperator & Auguſtus electus fuiſſet; ejus imagini Romam delatæ, à Clero & à Senatu acclamatum eſt, ut ex lib. 11. epiſtolarum *Gregorii Magni*: *Venit icona Phocæ & Leon-*

Leontiæ Augustorum Romam, & acclamatum est eis in Lateranis, in Basilica Julii, ab omni Clero & Senatu. *Codinus Curopalata* de Officiis Constantinopol. cap. 17. ubi loquitur de Coronatione Imperatoris hæc habet: *Populo, & universo Fossato, faustis acclamationibus personante, Imperator descendit de scuto, duciturque ad sanctæ Sophiæ templum in quo coronandus est.* Et ibi multa congessit *Gretserus*; uti etiam Cardinalis *Bona* sacra Purpura ac doctrina Eminentissimus, Rerum Liturgicarum lib. 2. cap. 5.

Sed nostram hanc de Anno novo Imperii sententiam, comprobant etiam tituli, & cognomina ipsius Antonini in nummo, circa ejus caput descripta IMP. T. ÆL. CÆS. HADR. ANTO-

TONINUS AUG. PIUS. *Imperator Titus Ælius Cæſar Hadrianus Antoninus Auguſtùs Pius.*

Nam Antoninus Titi Ælii Hadriani, qui ipſum adoptaverat, ſtatim initio imperii, cognomina ſumpſit, Patris verò Patriæ nomen, referente *Capitolino*, diſtulit; unde non mirum quod in noſtro nummo ſignatum minimè ſit. *Capitolini* verba ea ſunt, *Patris Patriæ nomen delatum à Senatu, quod primò diſtulerat, cum ingenti gratiarum actione ſuſcepit.* Unde hunc nummum, primis imperii diebus ſignatum fuiſſe conjicimus; eo potiſſimum tempore, quo Patris Patriæ nomen Antoninus nondum ſuſceperat. At in hoc noſtro, quem *Adolphus Occo* deſcripſit, nummo, litteræ malè interpun-

ctæ sunt. Extat & alius consimilis Hadriani nummus, quem ex thesauro Regis Galliarum edidit inter Numismata Imperatorum Romanorum præstantiora, *Ioannes Vaillant* Regius Antiquarius præclari nominis Vir. Circa Hadriani caput legitur HADRIANVS AVGVSTVS. In adverso verò latere laurea pariter dicata est, in qua S.P.Q.R. AN. F. OPTIMO PRINCIPI. Aliumque ipsius Hadriani exhibent *Francisci Gottifredi* tabulæ, nondum editæ, inter numismata primæ magnitudinis; in cujus latere adverso laurea similis dicata est, cum litteris AN. F. F. HADRIANO AVG. P. P. Qui nummus cum universa Pinacotheca Gotifrediana, Christinæ Reginæ thesauro accessit.

Sed in utroque nummo, quatuor illæ litteræ A. N. F. F. malè interpunctæ sunt, nec inscriptionis sensum assequuntur; punctis ipsis, aut rubigine obductis,aut vetustate exesis. In nostro Antonini nummo, grandiores cæteris,quas vidimus,prominent litteræ,ipsasq; puncti omnes rotunditate conspicui discriminant ac dividunt,& hujus monumenti magnificentiam testantur. Omittendum sanè non est, novo, seu primo suscepti imperij anno, Senatum Populumque Romanum, pro suis Imperatoribus, Jovi Optimo Maximo in Capitolio vota suscepisse in Decennium, & Quinquennium. Unde invaluit solemnitas illa Votorum decennalium, & quinquennalium. Quæ vota antiquitus pro in-

incolumitate Reipublicæ nuncupata fuiſſe patet ex *Livio*, eademque ab Auguſto rerum potito, uſurpata ad ſucceſſores tranſiere, juxta imperij diem, decennio, aut quinquennio peracto. Auguſtus enim ad removendam ſuſpicionem regiæ poteſtatis, imperium in decennia & quinquennia ſuſcepit; ita ut per totum vitæ ſpatium obtinuerit. *Quam ob cauſam* (inquit *Dio*,) *poſteriores quoque Imperatores, & ſi non ad certum tempus, ſed per omne vitæ ſpatium ijs imperium deferatur, ſingulis tamen decennijs, feſtum pro ejus renovatione agunt.* De eodem Auguſto *Propertius:*

—— *cape Roma triumphum,*
Et longam Auguſto ſalvo precare diem.

Devicto enim Antonio, Augustus triumphans Romam rediit, & cum acclamationibus, à Senatu Populoque Romano, pro ipsius salute, solemnia vota suscepta pariter, & soluta sunt Jovi optimo Maximo. Cum verò Antoninus Pius, ut observavimus anno Urbis DCCCXC Imperium suscepisset, ac Senatus Populusque Romanus, annum novum faustum felicemque, eidem precatus fuisset, vota etiam decennalia pro ejus salute & incolumitate nuncupata fuere, eademque soluta postea exacto decennio, ut apparet ex ejusdem Imperatoris nummo, in quo caput Antonini expressum est cum litteris, ANTONINVS AVG. PIVS. P.P. TR.P. XI. In adverso latere pariter, ut in no-

stro

ſtro nummo, corona laurea exhibetur, in cuius medio legitur PRIMI DECENNALES S.C. qui ludi, tribunicia poteſtate undecima Antonini, ejus ſcilicet decimo anno Imperij elapſo, acti ſunt. Et ſic iterum anno viceſimo exacto, vota vicennalia; ut ex alio numiſmate ejuſdem Antonini, ſignato ejus Tribunicia poteſtate viceſima prima, ANTONINVS AVG. PIVS P.P. TR. P. XXI. in poſtica verò VOTA SOL. DEC. II. COS. III. quæ decennalia ſecunda, dicta ſunt poſtea Vicennalia. Nam decennales ludi, ſeu vota decennalia in Antonini Pij nummis primùm deſcripta viſuntur. Ad felicitatem verò deſignandam, quam Imperatoribus, novo anno,

auſpicari ſolebant, legitur apud *Gruterum*, in veteri lapide effoſſo ſub Arcu Septimij Severi in Foro Romano DECENNALIA FELICITER, in eodemque inſculpta eſſe ſacrificia, notat idem *Gruterus*. Inde in nummis, aliiſque vetuſtis monumentis memorantur VOTA. X. VOT. XX. VOT. XXX. aliaque, unius decadis, ſeu duobus aut tribus decadum periodis abſolutis. In Græcis nummis habemus ΠΕΡΙΟΔΟC. ΔΕΚΑΤΗ & ΠΕΡΙΟΔ. ΔΕΚΑΤ. ΕΤ. ſeu periodus decimi anni, juxta Romanos Imperatorum nummos. Hinc Euſebius, agens de annis imperij Conſtantini, Diocletiani, aliorumque, per decennalia & vicennalia ipſos computat, vt notat Cl. Vir *Ezechiel Spanhemius* diſſertatione ix. de

Præ-

Præstantia & usu Numismatum, qui disertissime, ut solet, de ijsdem votis agit. Ac de ipsis consule, Insignem doctrina, ac eruditione Virum, *Henricum Noris* Augustinianum, Dissertatione de Duobus Nummis Diocletiani & Licinij, in Auctario Chronologico de votis Decennalibus. Nos brevitatis studio, illa tantum attigimus, quæ ad nostri Antoniniani Nummi declarationem pertinent.

Ut verò ad nostram inscriptionem redeamus, non omittendi sunt tituli Romanorum Imperatorum. PIUS FELIX, vel PIO FELICI, vel FORTISSIMO FELICISSIMOQVE PRINCIPI. Conspicua est etiam ipsa Felicitas Dea in nummis appicta, cum copiæ cornu, caduceo, & litte-

litteris Felicitas Avg. vel Felicitati Avg. Quæ Augustorum auspicatam felicitatem designat. Extat in ipsius Antonini nummo hæc Dea, altera manu cornucopiæ, altera globum tenens, cum epigraphe Felicitati Avg. Cos. III. Orbisque felicitatem, annona & rerum copia, optatissimam indicat. Cumque ab Optimis Principibus, ob res feliciter gestas, publica felicitas emanet; hinc etiam in nummis Temporum Felicitas, vel Felicia Tempora, appictis quatuor pueris, qui anni partes quatuor referunt: Ver scilicet, Aestatem, Autumnum, Hyemem, cum symbolis. Et sic ad designandam Temporum felicitatem, non solum in nummis, sed etiam

iam in alijs monumentis, ac precipuè in Arcubus Romæ, inter triumphalia ornamenta, eosdem quatuor pueros insculptos cernimus, ut in Constantiniano, ac Severiano. In hujus utraque facie, sub Victoriis, quæ sunt in apside, Genii, seu pueri alati duo, insculpti sunt; quorum alter falcem & aristas, alter uvæ botrum & vas, seu craterem tenet; Aestatis & Autumni indices. Inde alij genij duo; quorum alter flores, alter anseres tenet; Veris pariter, & Hyemis indices. Sed hos temporis injuriis læsos, ex Constantinianis, aliisque monumentis agnosces. Et quamvis apud me plurimum valeat auctoritas Viri alioquin Eruditissimi; non tamen in ejus senten-

tiam concedere poſſum, aſſerentis, Genios eſſe quatuor geſtantes thus & fruges, atque flores & aves Provinciarum à Septimio Severo ſubactarum. Nam ijdem Genij, ut diximus, quatuor anni partes indicant, tum in Arcu Severiano, tum in Conſtantiniano, & felicia tempora Severi, & Conſtantini deſignant; hujus quidem ob extinctam Maxentij tyrannidem, illius verò ob victoriam de Parthis, Adiabenis, & Arabibus reportatam. Unde pax & felix opulentia, rerumque copia humanæ vitæ neceſſaria, orta eſt. Hinc in nummis ipſius Conſtantini, & Marci Aurelij Antonini Caracallæ, cui ſimul cum patre Severo communis eſt arcus, iidem pueri quatuor expreſſi

ſunt,

ſunt, cum ſymbolis anni tempora referentibus, ac titulo FELICIA TEMPORA.

Hæc pauca de Anno Novo adnotavimus in nummo Antoniniano, quæ tuæ eruditioni, *Nobiliſſime* NICASI ſubjicimus. Vale interim, Vir eruditiſſime, qui in Divionenſi Academia cum omnibus Muſis ad ſapientiam incumbis, meque tui amantiſſimum atque obſervantiſſimum dilige. Sitque hæc vetus teſſera novi anni, quam tibi mitto Kalendis Januarij, felix fauſtumque totius vitæ curſus votum, & auſpicium.

Sol tibi decurrat Cælo felicibus horis.
Atque novos annos geminet, nova tempora ducat,
Auratoque trahat Lacheſis tuæ ſtamina filo.

DE NUMMO COMMODI ET ANNII VERI CAESARUM

DISSERTATIO.

IAM tertius abſolutus eſt annus, ex quo in lucem prodiit è ruderibus Urbis, perrarus, ac ſi planè teneo, unicus filiorum Antonini nummus primæ magnitudinis, qui exprimit duos puerorum vultus, ſingulos in ſingulis lateribus inſculptos: alteri inſcriptum eſt COMMODUS CAES.

pag.36

ANNIVS VERVS·CAES·ANTONINI·AVG·FIL.

COMMODVS·CAES·ANTONINI·AVG·FIL.

ANTONINI AUG. FIL. alteri ANNIUS. VERUS. CAES. ANTONINI. AUG. FIL.

Adeo verò integrum hoc numiſma internitet, ut hoc unum tempori ipſi curæ fuiſſe videatur. Mira ſanè perpolitur elegantia, diſtinctæ leguntur litteræ, & æqualiter in orbem omnia redeunt. Nulla maculà quamvis levi notatur, nulla ſcatet rubigine, & procul à mendis cunctis è terrea utplurimum ſorde prodeuntibus, pura ac nitida patina, ut ferunt, decoratur. Lineamenta ab illo prodeunt, quæ cum ſint emendatiſſima, auctorem Pyrgotelem, ſeu Dioſcoridem aliquem commendant. Admiratio quædam etiam intuentes tenet, ſive formam & ſimilitudinem puerorum ad vivum expreſſam,

ſive decus oris, circinatos crines, & chlamydem pectori utriusque admotam meditentur. Unde juremeritò in ſelectiſſima Bibliotheca Eminentiſſimi Principis Camilli Cardinalis Maximi nobilem locum obtinet. At quamvis utraque inſcriptio hos Cæſares Commodum, & Verum Antonini filios eſſe declaret, Antonini tamen nomine, non ille cognomento Pius, ſed Marcus Aurelius Antoninus intelligendus videtur; etſi rationes aliquæ adverſentur, quæ dubitationem ingerunt, an Pio, an verò Marco illos tribuamus.

Marcus Aurelius Antoninus ex juniore Fauſtina vxore duos ſuſcepit filios, Commodum, qui in imperio patri ſucceſſit, & Verum, qui, proficiſcente Marco

co ad bellum Germanicum, Præneste interiit; de quo sic *Capitolinus* in vita ipsius M. Antonini: *Sub ipsis profectionis diebus, in secessu Prænestino agens, filium nomine Verum Cæsarem, execto sub aure tubere, septennem amisit.* De appellatione Cæsaris, quæ utrique tribuitur, præter ipsum Capitolinum, sic *Lampridius* in vita Commodi: *appellatus est autem Cæsar puer cum Fratre suo Vero.* Ita planè Commodum, & Verum Cæsares a Lampridio, & Capitolino memoratos noster nummus utrinque repræsentat. Nec interest Marcum Aurelium nudo nomine Antonini nuncupatum esse, cum id ex alijs nummis satis arguatur, in quibus absque prænomine Marci, aut cognomine Aurelij, solo Antonini nomine designatur.

ſignatur. Tres hic referimus nummos, in quibus Marcus Aurelius abſolute Antoninus appellatur. Alterum *Erizus* edidit: in ipſo duæ facies mutuo ſe ſe reſpicientes Marci Aurelii, & Lucii Veri exprimuntur, cum epigraphe IMP. ANTONINVS AVG. COS. III. VERVS. AVG. COS. II. Alterum dedit ex ſuo theſauro Clariſſ. Vir *Carolus Patinus*, qui nummus in antica exhibet ipſius Marci Aurelii vultum, cum inſcriptione ANTONINUS. AUG. TR. P. XXX. in poſtica Fauſtinæ ejus conjugis caput, FAUSTINA. AUG. ANTONINI. AUG. PII. FIL. Tertius eſt Lucillæ ipſius Marci Aurelii filiæ cum epigraphe: LUCILLA. AUG. ANTONINI. AUG. FIL. Hic noſtro

nummo.

nummo abundè favet; nam Lucilla uxor Lucii Veri, eadem fuit Marci Aurelii filia, & ſoror noſtrorum Commodi ac Veri Cæſarum, cum quibus æque ipſa Antonini filia deſignatur; nempe: LUCILLA. AUG. ANTONINI. AUG. F. COMMODUS. CAES. ANTONINI. AUG. F. ANNIUS. VERUS. CAES. ANTONINI. AUG. F. Clariſſimus *Triſtanus*, & ante ipſum *Iacobus Strada* iiſdem Marci filiis alium nummum aſcripſere, qui in antica refert duo puerorum capita invicem ſe ſe reſpicientia cum litteris: COMMODVS. CAES. VERVS. CAES. in poſtica quatuor pueros cum ſymbolis anni tempora referentibus. Aliumque præ-

præterea nummum Amaſtrianorum Vero Marci filio tribuit *Triſtanus* : ΟΥΗΡΟϹ. ΚΑΙϹΑΡ cum capite Veri Cæſaris habet in antica, in poſtica tripodem cum angue ΑΜΑϹΤΡΙΑΝΩΝ *Amaſtrianorum.*

Hæc ad probandum pueros duos ad ſimilitudinem efformatos in noſtro nummo, Commodum & Verum Cæſares eſſe Marci Aurelij filios; ſed huic ſententiæ rationes aliæ adverſari videntur. Antoninus ſiquidem cognomento Pius ex ſeniore Fauſtina uxore filios duos mares pariter ſuſcepit, ut ſcribit *Capitolinus* : *Uxor Annia Fauſtina, filij mares duo, duæ fæminæ.* Horum alterum, nomine Marcum Galerium, matri

tri defunctæ ſuperſtitem fuiſſe, conſtat ex græco nummo, qui refert ab uno latere ipſius Fauſtinæ caput velatum, cum inſcriptione, ΘΕΑ ΦΑΥϹΤΕΙΝΑ. ab alio caput puerile cum litteris: Μ. ΓΑΛΕΡΙΟϹ. ΑΝΤΩΝΕΙΝΟϹ. ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟϹ. ΑΝΤΩΝΙΝΟΥ *Marcus Galerius Antoninus Imperatoris Antonini.* Hunc Marcum Galerium eundem eſſe cum noſtro Annio, ſatis colligi poteſt ex Annij nomine in alio græco nummo Fauſtinæ ipſius edito ab eodem Clariſſ. *Patino* in *Impp. Rom. Numiſm.* qui nummus pariter in antica exhibet ſenioris Fauſtinæ caput velatum, cum titulo ΘΕΑ ΦΑΥϹΤΕΙΝΑ in poſtica ejuſdem Annii vultum, cum prænomine Marci, & nominibus Annij Galerii An-

Antonini M. ANNIOC ΓΑΛΕΡΙ-ΟC. ΑΝΤΟΝΙΝΟC. ΑΥΤΟΚΡΑ-ΤΟΡΟC. ΑΝΤΟΝΙΝΟΥ. ΥΙΟC. *Marcus Annius Galerius Antoninus Imperatoris Antonini filius.* Alius similis extat in Bibliotheca Eminentissimi Principis Camilli Cardinalis Maximi, absque prænomine Marci, sed loco prænominis, posito Annij nomine, AN. ΓΑΛΕΡΙΟC ΑΝ-ΤΟΝΙΝΟC. ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟC. ΑΝΤΟΝΙΝΟΥ *Annius Galerius Antoninus Imperatoris Antonini.* Inde animadvertere licet, eundem Marcum Annium, qui in descriptis græcis nummis Antonini filius enunciatur, æquè ac in nostro latino, eadem nomenclatura Antonini filium dici; ita ut in utrisque ex eodem patris nomine, Antonini filius in-

innoteſcat. Hinc etiam ſuppleri poſſe videntur ipſius Annij Veri nomina, ex diverſis nummis, ſcilicet: *Marcus Annius Galerius Verus Antoninus Imperatoris Antonini filius.* Dictus porrò Annius Galerius Verus ab Annia Galeria Fauſtina ejus matre, quæ fuit Annii Veri filia. At Verus Marci filius differt ſanè ab hoc Annio Vero Antonini Pii; nam hic Marci prænomen habuit, ille Sexti, ſi vera eſt conjectura *Caſauboni* ac *Triſtani* ex Galeno, libro *de Præcognitione ad Poſthumum.* De fratre autem Marci Annii non conſtat apud auctores; cum omnes de ipſo ubique ſileant. Ad hanc ſententiam confirmandam, Antonini Pii vulgatum nummum proferimus, in cujus

adverſo latere duo copiæcornua exprimuntur, duobus filiorum ipſius Antonini capitibus utrinque impoſitis, ac litteris TEMPORVM. FELICITAS. COS. IIII. S.C. quamvis Clariſſimus *Triſtanus* hos Marco Aurelio tribuat, auctoritate ipſius nummi, qui ſignatus eſt Conſulatu quarto Antonini Pij, jam mortua Fauſtina ejuſdem uxore conſulatu tertio.

Hæc retulimus de Antonini liberis, cum adeo verſemur in ambiguis, ob equivocum Antonini nomen, quod tum Pio, tum Marco indiſtinctè tribuitur in nummis, in reſcriptis, & in Hiſtoricorum monumentis. Quæ ſi eruditis viris parum conſona videantur, unuſquiſque ſuam tueatur ſententiam, cum & nos

nos parati ſimus abſque contentione, vel ab hac, vel ab illa recedere.

DUM hæc ederemus, Coenobium Patribus Ordinis Min. Obſerv. ædificantibus in Inſula Tiberina, & in platea ante ædem D. Bartholomæi, effoſſa terra palmis XVIII. inventa eſt congeries tophorum, quam nonnulli fundamentum obeliſci olim in Inſula erecti, fuiſſe opinantur. Ibidem, ex ruderibus inſcriptiones tres erutæ ſunt, quarum duæ marmoreæ, tertia tophacea. Marmorea altera in ſimilitudinem aræ efformata, eſt Æſculapio dicata, cui & Inſula univerſa ſacra fuit: inſcriptio talis eſt

AISCVLAPIO
AVGVSTO. SACRVM
PROBVS.* M. FICTORI. FAVSTI. *Magistri
MINISTER. ITERVM. ANNI XXXI.

Altera incisa est in marmoris frusto, zonis, seu strijs quibusdam insculpto, absque notis aliis, quæ Kalendarium indicent; minusculis verò litteris signata.

vIcI. CENSORI. LVSTRATIO. ERIT. IDIBVS. SEPTEMBR.

Tertia inscriptio topho insculpta hæc habet.

L. RVTILIVS. L. L. ARTEMIDO
A. CARVILIVS. L. L. DIODORVS
P. SVLPICIVS. Q. L. HLOCOM
MAG. CONL. CAPRINA GALLA
EX. D D... A... C.... COE PAVER

Scribit *Suetonius*, Augustum Urbem Romam in regiones vicosque

que diviſiſſe, quibus tuendis ac conſervandis, Magiſtros Regionum & vicorum conſtituiſſe: *Spatium Urbis in regiones vicoſque diviſit: inſtituitque ut illas annui magiſtratus ſortitò tuerentur; Hos magiſtri è plebe cujuſque viciniæ lecti.* Cum annuus eſſet eorum magiſtratus, hinc fortè in inſcriptionibus MAG. ANNI. CV. ANNI. CVI. Magiſtri ipſi Collegium, & Miniſtros habebant qui, ſive extruendis, ſive reſtituendis ædibus ſacris, & operibus publicis ſuam operam præſtabant. Iſidorus: *Magiſter maior in ſtatione (nam* στεροι *ſtatio dicitur) Miniſter minor in ſtatione, ſeu quia officium debitum manibus exequitur.* Unde in noſtra prima inſcriptione, Probum Miniſtrum MagiſtriFictorI FauſtI an-

ni XXXI fuiſſe conſtat, qui & aram Aeſculapio dicavit.

Vicus CenſorI in ſecunda inſcriptione memoratus, numeratur, à P. Victore regione XIV Tranſtyberina. Cum autem vici eſſent regionum partes, in quos regiones ipſæ dividebantur, hunc Vicum Cenſori pertinuiſſe ad Inſulam Tiberinam ex noſtra inſcriptione Aeſculapio dicata ſatis liquet.

Quoad ipſius Vici luſtrationem, conjicimus, non tantum Amburbia ſacra Romæ celebrata, quæ peragebantur, cum Urbs & Pomœrium luſtrabatur, ſed etiam regionum vicorumque luſtrationes fieri moris fuiſſe, ipſorum terminos ambientes, ac victimis hymniſque purgantes.

De cognomine Auguſti, quod

Ae-

Aesculapio tribuitur, observamus Deorum Dearumque nominibus addita fuisse Augusti & Augustæ cognomina, ac titulos in adulationem Principum, quos diis temerè æquare volebant. Hinc Juppiter Augustus, Neptunus, Apollo Augustus, Ceres, Diana, Isis Augusta.

FINIS.

C